

a.72 Q

*Handwritten text, possibly a date or number, faintly visible in the upper left corner.*

*Ga 72. a*







42  
HENRICI MASCAMPPI  
PROFESS. DUISBURG.

INSTITUTIONUM  
HISTORICARUM

SPECIMEN PRIMUM,

SI DEUS ANNUERIT,

Publicæ disquisitioni  
submitendum,

die Februarii,

H. L. Q. S.

RESPONDENTE

DIEDERICO BARONE DE WYLICH  
a DIERSFORD.



DUISBURGI ad RHENUM,  
Typis JOHANNIS SAS, Academiae Regiae Typographi,  
Anno M DCC X.

HENRICH MASSAMIT  
PROFESSOR

INSTITUTIONUM  
HISTORICARUM

21 DESSAUERSTRASSE

Publications  
die



DIEDERICH WILHELM

Typ. Johann'sche Academie-Verlags-Druckerei  
Am Markt No. 10



POTENTISSIMO, GLORIOSISSIMO, OPTIMO,  
PRINCIPI AC DOMINO,

D<sup>o</sup> FRIDERICO,  
D. G. BORUSSORUM REGI;  
MARGGRAVIO BRANDENBURGICO,  
S. R. I. ARCHICAMERARIO,  
ET ELECTORI,

ARAUSIONUM, ET NEOCOMENSIUM,  
PRINCIPI SUPREMO,

MAGDEBURGI, CLIVIÆ, JULIÆ,  
MONTIUM, STETTINI, POMERANIÆ,  
CASSUBIORUM, VANDALORUM,  
MEKELBURGI, AC IN SI-

LESIA CROSNÆ,  
D U C I,

BURGGRAVIO NORIBERGENSI,  
HALBERSTADII, MINDÆ, CAMINI,  
VANDALIÆ, SUERINI, RATZEBURGI,  
ET MEURSIÆ,

P R I N C I P I,

HOHENZOLLERÆ, RUPINI, MARCÆ,  
RAVENSBERGI, HOHNSTEINII, TEKLE-  
BURGI, LINGÆ, SUERINI,  
BURÆ, ET LEERDÆ,

C O M I T I,

VERIÆ, ET FLISSINGÆ,

MARCHIONI,

RAVESTEINII, ROSTOCHII, STARGARDIÆ,  
LAUENBURGI, BUTAVII, ARLÆI,  
ET BREDÆ,

D O M I N O,

PRINCIPI INCOMPARABILI,  
PIO, FELICI, AUGUSTO,

PATRIÆ PATRI,

REGI ET DOMINO SUO  
LONGE CLEMENTISSIMO,

S. P. D.

DIEDERICUS BARO DE WYLICH a DIERSFORD.



R E X  
GLORIOSISSIME  
A C  
POTENTISSIME,  
D O M I N E  
M U L T O  
CLEMENTISSIME,



Uum illa sit temporum felicitas, ut Doctrinarum elegantiorum studio Generis, quod obtigerit, decus aucturis prodesse etiam soleat, destinationis istiusmodi significationem ad MAJESTATIS TUÆ FASTIGIUM direxisse; mihi quidem tale quid hoc tempore faciendi haud leve fuit incitamentum a naturâ ejus, quod exhibitur:

betur : siquidem satis constat , pro  
laudabili habendam operam , quæ ex-  
actiori vetustissimæ Historiæ cogni-  
tioni impensa. Reverentiam , cujus  
testificandæ hac occasione præcipua sit  
cura oportet , talem velim intelligi,  
**REGUM OPTIME** , qualem expe-  
ctari fas sit ab ullo eorum , quos **TUÆ**  
**CLEMENTIÆ** iubesse voluit Divi-  
na Providentia. Ducem & monstra-  
torem reverentiæ istius Patrem habui,  
Virum ob eam causam **MANSUE-**  
**TUDINI TUÆ** non improbatum.  
Maneat idem in Me Meosque animus.  
Pieatis , quæ rependatur , ille semper  
modus erit , ut castissimis ad Deum  
Omnipotentem precibus omnis bo-  
norum , quæ ad felicitatem pertinent,  
cumulus **GLORIOSISSIMÆ MA-**  
**JESTATI TUÆ** ardenter expetatur.

Dabam Duisburgi a. d.  
vI Kal. Febr. clo ccx.

HENRICI MASCAMPPII  
 PROFESS. DUISBURG.  
 INSTITUTIONUM  
 HISTORICARUM  
 LIBER PRIMUS.

C A P. I.

*De Methodo tractationis,  
 & notatione Annorum.*



N exhibendâ per compendium Universæ Historiæ summâ, nondum valde exercitatis in primis expeditur videtur, ut singulis annorum Centuriis per memorabiles quasque Gentes juxta ipsam Terrarum situm circumducti, separatim deinde posita inveniunt, quæ ad Religionis sive Rei Ecclesiasticæ statum, itemque Ingeniorum celebritatem pertinent.

Æquabilis illa Temporum di-

visio in Secula, ab eo, quod ante Christum Sextum fuit, commode jam potest adhiberi, antiquioribus modo junctim completendis. Ordinem in percensendis Gentibus non nisi semel iterumque aliquatenus mutare opus est.

Notandis annis post Christum natum ut unice inservit *Æra*, quæ inde descendit, ita dubium non est, quin & recte significetur, quanto intervallo *Æram* istam aliquid antevertat. Suis interim locis nec omitendo usu aliarum *Epocharum*, quæ præcipue celebrantur, aliquandiu quidem,

A

dem, postulante ita vel assuefcendi necessitate, adhiberi etiam debet illa rei chronologicae studiosioribus tantopere amata *Periodus Juliana*.

Summa hæc annorum 7980, quæ confurgit, inductis in se tribus *Cyclis*, *Lunæ*, qui absoluitur annis 19, *Solis*, qui 28, *Indictionum*, qui 15; occasione instituti Magno temporum Emen- datori *Josepho Scaligero* inde oblatâ, quod *Cycli* isti perpetuâ annorum successione in *Fastis* notari consueverint.

*Lunæ Cyclus*, exemplo *Enneadecaeteridæ Metonica*, adhibitus est a Christianis in usum constituendæ Solennitatis Paschalis, cujus nimirum ob causam observanda quarta decima Luna, quæ Vernum Æquinoctium proxime subsequatur; anticipatione dierum undecim, quibus identidem Lunaris annus Solarem antevertit, eam vel tertio vel secundo anno poscente intercalationem, quæ septies facta lapsu annorum 19, Sideris utriusque motum, dierum cæterum 209 discrimen habiturum, exæquat.

*Solis Cyclus* qui dicitur, *Literarum Dominicalium* ostendit variationem, quum annus supra

hebdomadas 52 unum contineat diem, septeno orbe absolvendam, nisi interveniret identidem annus quartus intercalaris, quo efficitur, ut anni in Circulo sint quater septem.

*Indictionum Cyclus*, desituro Olympiadum usu, ad civilem temporum dinumerationem adhiberi cœpit.

Illud si satis teneatur, esse *Cyclorum* istorum observationem ex longâ plurimorum *Seculorum* consuetudine, minus erit obscurum, quam vulgo esse solet, cur, quocumque ab anno in iisdem retro ordinandis progredienti (donec veniatur ad Caput compositæ ex iis *Periodi*, ubi scilicet consistant omnes monades) anni ante Æram Christianam numerandi sint 4713, ut adeo cum anno primo istius Æræ conveniat ille, qui est in *Periodo* 4714. Necessario scilicet ut in id consentiant omnes, qui rem intelligunt, postulat *Cyclorum* ordinatio, quæ minime est arbitraria, sed qualem vetustissima jam fecit institutio.

Hæc magna illa *Periodi* utilitas, initium habere, de quo nullum sit dubium, quodque simul omnis temporis digestionem commode inserviat, dum ipsum *Mundi*

Mundi ortum, qualis quidem ille juxta Hebraicum Sacri Codicis Textum constitui debet, necessariae anticipationis fictione prævertit, manente semper æquabili istâ formâ annorum *Julianorum*, unde & cognomen ei esse voluit, qui usum ejus ostendit.

*De Rebus usque ad Dispersionem Gentium.*

**C**alculo Periodorum, quæ *Sacro in Codice* distinguuntur, accuratius posito, in annum Julianæ 714 RERUM INITIA incidunt; ita ut fluxerint ante Christum Secula exacte 40. Numerandi scilicet anni

Ab Orbe Condito ad Dilu-  
vium 1656.

A Diluvio ad Vocationem  
Abrahami 427.

AVocatione eâ ad Exodum 430.

Inde ad Foundationem  
Templi 480.

Dum stetit Templum 400.

Dum durat Captivitas Ba-  
bylonica 70.

A fine hujus ad Christum 537.

Qui omnes sunt 4000.

In Autumnum ut potissimum conferatur creationis tempus, præter alia argumenta satis sua-

det forma anni civilis apud Hebræos, cujus initium ab Autumno ductum fuisse utique arguunt loca *Exod. XXIII, 16, & XXXIV, 22*; nonnisi ad Sacrorum rationem referendâ illâ ordinatione, de quâ *Exod. XII, 2*.

De Beatâ Primorum Hominum Sede (PARADISI nomen indidere) quantacunque fit diffensio, illud tamen certum, Tigridi pariter & Euphrati fuisse vicinam. Quin & asseverare licet, omnino eam ibi collocari debere, ubi Fluvii isti miscuere undas, mox iterum per binos alveos (hi Pischon & Gichon) in mare exituras, prout primo id facientem *Calvinum in Genes. II.* secuti deinde *Scaliger de Emend. Temp. lib. 5. & Epist. lib. 4. Ep. 441.* *Bochartus in Epist. ad Lud. Capell. Morinus & Huetius in peculiaribus Dissertationibus*, omnes quidem, non in singulis circumstantiis, at rei in summâ plane convenientes.

Aliorum sententiis utcunque accommodetur, quod dicit *Moses* de 4 Fluviis, Regionibus Cusch & Chavilâ, itemque de inveniendis ibi auro, *ברלח*, & *אבן* *השהם*, juxta *Genes. II, 12, 13.* at non iisdem perinde conveniant, quæ leguntur *2 Reg. XIX,*

12, & *Esaï. XXXVII, 12*, de Diis Gentium, *Gozan, Charan, Rezephe, & Eden, quæ in Thelassar*; itemque *Genes. IV, 16*, de Caini *Chanocum* condituri profectioe versus Orientem.

Posteritas, quæ ab Adamo fluxit, duas scissa in Familias, moribus aliquandiu dissimiles, ut copiosius augetetur, fecit haud dubie etiam VIVACITAS singulorum, non utique trimestri aut breviori spatio æstimandis annis, qui assignantur *Genes. V*.

Contra *Varronem*, qui, quod sciebat traditum esse de mille fere annorum vitâ, ita explicare voluerat, quasi intelligerentur menses, quos *Ægyptii* pro annis habuerint, *Lactantius Divin. Instit. lib. 2, cap. 12*, hoc utitur argumento, sic futuram fuisse Primorum Hominum ætatem, quam etiam superent, qui 100 annis vivant, quum tamen constet, ulterius subinde perveniri solere.

Addatur absurditas inde intelligenda, quod, qui genuerint anno ætatis 65, ut *Mahaleel & Enoch, Genes. V, 15, 21*, non nisi quinquennes fuissent. Nec sane causa excogitari possit, cur *Moses*, anni notione secundum communem sensum deinde usu-

rus, aliter eam vocem adhibuerit in principio: efficaci & hoc argumento, ne cogitetur de ullis vel 2, vel 3, vel 4, vel 6 mensium annis, quales cæterò quin his illis in usu fuisse docet *Censorinus de Die Natal. cap. 19*.

Irrita fuere incrementa, dum gliscens simul nequitia iram Numinis provocat. Non tantum correpta vivendi spatia, juxta *Genes. VI, 3*, sed & immixtæ Terris exitiabiles AQUÆ, quibus factum ut res ad paucitatem rediret. *Genes. VII*.

Ut pronuntiari possit, fuisse annum, quo id contigit, ab *Reurum Initio 1656, P. J. 2369*, colligendi sunt anni singulorum Patriarcharum usque ad editam Sobolem, Noachi vero usque ad ipsum Diluvium. Sunt nimirum anni

Adami	130.
Sethi	105.
Enoschi	90.
Cainanis	70.
Mahaleclis	65.
Jaredi	162.
Henochi	65.
Mathusalaë	187.
Lamechi	182.
Noachi	600.
Omnes	1656.
Controversia, hic secundum Hebræ-	

Hebræum Codicem nulla. Versionum diversitatem recensere *Institutionum* harum proposito non convenit.

Modus, quo cladem cum suis evasit Noachus, hic erat. Præmonitus ARCAM struxerat, ut Animalium quoque, per quæ genus quodque propagaretur, capacem (simplicitatis certe arguendâ dubitatione, si bene consideretur descriptio Mosaica *Genes. VI, 15*) ita, materiâ admodum durabili (*Cupressum* fuisse satis post *Fullerum* evicit etiam *Bochartus in Phal. lib. 1. cap. 4.*) in longum rei profusâ mirandæ argumento futuram.

Novarum rerum incrementa daturis ut major esset spes & fiducia, PLACATI NUMINIS fecere indicia. *Iride* futurâ in signum fœderis de non immitendo iterum diluvio, *Genes. IX, 9, 10*; juxta herbas, quæ prioribus modo concessæ fuerant *Genes. I, 29* (duraturâ & rei famâ inter Gentiles: *Ovid. Metam. lib. 15. v. 96. Virg. Georg. lib. 2. v. 536*) permissus nunc etiam *esus carnis*, *Genes. IX, 3*, cui mox accessit a Noachi industriâ usus *vini. eod. cap. v. 20.*

Aucto mox iterum Mortalium numero, latius Terrarum

Orbis habitari cœpit, eum in modum, ut, SEMO cum suis Orientem tenente, in Syriam, Ægyptum, & Africam concederent, quos CHAMUS ediderat, Septentrionem vero & Europam peterent JAPHETIDÆ, mansurâ & Gentibus Primorum Generis Conditorum memoriâ.

Fuerat consilium iisdem fere in locis manendi, & struebatur TURRIS, in monumentum congressus, *quæ e longinquo videri posset, & in signum esset, ne dispergerentur super totâ Terrâ. Genes. XI, 4.*

Cœptum Deo displicuit, & impediti Conditores per LINGUARUM CONFUSIONEM, *Genes. XI, 7*; de quâ necessario ita tenendum, si non arrideat explicatio *Camp. Varringæ Observ. Sacr. lib. 1. cap. 8, & seq.* de immissâ discordiâ, utique probari non debere vulgarem sententiam de Linguis tum ortis & semper futuris 70 vel 72. Rerum naturæ id adversatur.

Effectus impeditionis fuit ipsa illa DISPERSIO, quam timuerant inconsulti moliminis Autores. *Sic dispersit illos Jehova inde in superficiem totius Terræ. Genes. XI, 8.* Sic orta Nationum & Regnorum discrimina.

*De Rebus Hebraeorum usque  
ad VI ante Christum  
Seculum.*

**D**E HEBRÆIS, ab *Hebero* Semi Pronepote ita dictis, cur primo loco egisse conveniat, ea est causa, quod per eorum tempora, & *Sacro* quidem ex *Codice*, continuanda sit digestio totius durationis, de qua vel ante Christum vel ante Cyrum pronuntiari debeat.

Incrementa Gentis deducuntur ab ABRAHAMO, qui primo cum Patre ex Chaldæâ in Mesopotamiam profectus, mox novam in Canaanem, jubente Deo, suscepit migrationem, anno post Diluvium 427, P. J. 2796.

De *Epochâ* istâ ut ita pronuntiari possit, instituenda iterum collectio annorum per *πρωτογονίας Sacri Scriptoris Genes. XI*, verum ita memoratas, ut notabilis sit controversia, non respectu Versionum, quas hic perinde ac ante negligimus, sed ipsius ex descriptionis tenore.

Si dicas natum esse Abrahamum anno Patris 70, juxta *Genes. XI, 26*, sique ad solvendam difficultatem, quæ oritur ex collatione locorum *Genes. XI, 32, XII, 4, & Actor. VII, 4*, cum

*Petavio in Rav. Temp. P. 2, lib. 2, cap. 2*, duplex statuatur profectio, annos modo collegeris 367.

Præstat autem ita interpretari verba *Mosis Genes. XI, 26*, ut dicatur, Tharam septuagenarium cepisse generare Filios, quos inter primus quidem recensetur ob dignitatem Abrahamus, sed qui re verâ non natus sit, nisi Patre jam annos numerante 130, quemadmodum & inter Filios Noachi *Scimus* aliquoties primus ponitur, qui tamen natu maximus non erat. Numerentur ergo anni

Semi	2.
Arphaxadi	35.
Salæ	30.
Heberi	34.
Phalegi	30.
Rehu	32.
Serugi	30.
Nachoris	29.
Tharæ	130.
Ipsius Abrahami juxta <i>Genes. XII, 4</i> ,	75.
Sunt omnes	427.

Nepotum Abrahami ex ISAA-  
co alter JACOBUS, prælatus *E-  
savo*, licet Majori, & ipsi non  
ignobilis stirpis Autori futuro,  
*Genes. XXXVI*, quin altero suo  
de nomine *Edom*, de quo *Genes.  
XXV, 30*, non modo Genti &  
Regio-



Regioni, sed & magnæ Maris parti nomen datur; ipse autem memorabili ex causâ *Genes. XXXII, 28*, *Israëlis* nomen, quod Posteris adhæsit, adeptus, post varias rerum vices cum omni Sobole descendit in Ægyptum anno a Vocatione Abrahami 215, P. J. 3012.

Facilis & certa temporis istius designatio, dum constat ex *Genes. XXI, 5*, natum esse Isaacum Abrahamo centenariis, adeoque annis post Vocationem 25. ex *Genes. XXV, 26*, natum Jacobum Isaac anno ætatis 60.

& ex *Genes. XLVII, 9*, profectum in Ægyptum Jacobum anno ætatis 130. adeoque post vocationem

Abrahami anno 215. Causa Israël in Ægyptum eundi invitatio Filii JOSEPHI, cui a Fratribus male habito ipsa calamitas parandæ insigni dignitati occasionem dederat *Genes. Capp. XXXIX, XL, & seqq.*

Felicitas Israelitarum quum non duraret in Ægypto (*Rege jam novo, qui non noverat Josephum, Exod. I, 8*, quod intelligendum de novâ dominatione Arabum, qui Ægyptum invaserant) redituris in promissas o-

lim Sedes Dux fuit, peculiariter a Deo ad id destinatus, MOSES, Vir ut gestis eâ occasione rebus, quas magnâ *Divini Operis* parte ipse copiose prosequitur, ita & famâ ad Posteris, etiam non suæ Gentis, celeberrimus.

Factum esse redeundi initium anno post Vocationem Abrahami 430, P. J. 3226, pronuntiatur autoritate loci Paulini *Galar. III, 17*. Inde sequitur, si prima pars intervalli hujus annorum fuerit 215, ut per collectionem demonstratum est, fuisse ejusdem durationis & posteriorem.

Nec aliter accipienda verba *Mosis Exod. XII, 40*. Manifestam Synecdochen ita reddunt LXX

Interpres: ἡ ἡ μετακλήσις τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, ἣν παρεκλήσαν ἐν γῆ αἰγύπτου, καὶ ἐν γῆ χαναάν, αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν, ἐπὶ πεσσοεργίᾳ τεύχοντα: incolatus, quo degerunt in Terrâ Ægypto, & Terrâ Canaan, ipsi & Patres eorum, anni 430.

Quod dicitur *Genes. XV, 13*, ut & *Astor. VII, 6*, de peregrinatione annorum 400, eundem ad sensum satis pertinet, si ratio habeatur spatii, quod fluxit a promissione Abrahamo factâ usque ad natum Isaacum. Jam vero citatum locum, *Exod. XII*, simpliciter de habitatione Ægypticâ

acâ post adventum Israelis accipientibus genealogia Mosaica reclamatur.

Caath, qui cum Avo in Ægyptum venit *Genes. XLVI, 11*, vixit in totum juxta *Exod. VI,*

17, annis

Filio ejus Amramo *Exod.*

VI, 19, tribuuntur

Mosi, quum exiretur,

*Exod. VII, 7,*

Omnes non sunt nisi

Quibus tamen demenda tempora, quæ singuli una cum Patribus exegerint.

Egressis Ægypto difficilis fuit & longa peregrinatio ab anno Mosis 80, *Exod. VII, 7*, usque ad mortem ejus, quæ contigit ipsi, quum natus esset annis 120, *Deuter. XXXIV, 7*, annorum adeo

Partem Terræ promissæ Jordan orientalem subegerat jam Moses, *Numer. XXI*. Successor JOSUA, transmissio Fluvio, plurima quæ supererant bella, non sine miraculo confecit: *Jos. Capp. prior. 12, novissimo continente negorii summam.*

Gentium ejectionum vel excisionum Terræ ita inter Tribus divisæ (*Numer. XXXII, Jos. XIII, & seqq.*) ut media fere tenerent Juda & Ephraim, vel inter vel

circumfusis reliquis; accolis a Septentrione Cananæis, ab Ortu Ammonitis & Moabitis, a Meridie Amalekitis, Madianitis, & Idumæis, ab Occafu autem Philistæis.

Ætas Josuæ, non administrationis tempus, exprimitur *Jos. XXIV, 29, & Judic. II, 8*. Poscente ita calculi summâ, cum *Josepho 'Αρχαιολ. lib. 5, cap. 1*, faciendum id annorum

Mortem viri, ut solent animi secundis rebus corrumpi, secuta est GENERATIO IMPIA, *Judic. II, 10*. Durationem hujus (usitatâ fati consuetudine in definiendis τῶν γενεῶν spatii: *Censuram. de die Natal. cap. 18.*) annorum facimus

Istud ad tempus pertinet *Belum Civile*, Benjaminitis tantum non exitiabile, de quo *Judic. XIX, & seq.* Argumento est, quod dicitur *Judic. XX, 28*, de Pineha, Eleazari Filio, Aaronis Nepote; dicendumque adeo, narrationem istam appendicis loco ad priora adjicere voluisse Scriptorem Sacrum.

Domestico malo parum emendatis mox alia aliunde fure, quæ factâ pœnitentiæ fide subinde cessarunt.

MESOPOTAMENO CUSANI  
(*Judic.*)

(*Judic.* III, 8) annis servitum 8.

Excitato Liberatore OTHONIELE, secuta est Quies (*cap. cod. v. II*) annorum 40.

MOABITARUM REX EGLON gravis fuit (*Judic.* III, 14) per annos 18.

Liberationem, autore EHUDE, secuta est Quies (*cap. cod. v. 30.*) annorum 80.

*Interim* tamen (ita dicendum, ut eximantur anni 60, cæterum abundanturi) post mortem EHUDIS, (*Judic.* IV, 1, a Septentrione toleratum jugum JABINIS CANANÆI, quod non nisi post annos 20, hortatrice DEBORA, excussit BARACUS, (*Judic.* IV, 3).

Secuta Quies 40 annorum (*Judic.* V, 31) quum finita esset una cum Quietate ad Orientem, tum late stragem dedere MADIANITÆ, pressuri victos (*Judic.* VI, 1) per annos 7.

Quies parta per GIDEONEM, superatis peculiari stratagemate hostibus, duravit (*Judic.* VIII, 28) per annos 40.

Rapta Filio ejus ABIMELECHO dominatio duravit (*Judic.* IX, 22) annis 3.

THOLA judicavit Israelem (*Judic.* X, 2) annis 23.

JAIR (*cod. cap. v. 3.*) annis 22.

Mox invalescens peccandi libido ancipiti malo punita, simul ingruentibus, hinc PHILISTÆIS, inde AMMONITIS. (*Judic.* X, 6, 7).

Id quum fieret, fluxerant anni post Mosem 300, adeoque post Exodum 340. Docet hoc locus (*Judic.* XI, 26). Inde necessitas coordinationis, quæ eximit annos & Servitutis Cananææ, & secutæ Quietis. Cæteroquin collectio partium summam jam daret annorum 301, nec quicquam Josuæ aut Generationi Impiæ relinqueretur.

Eadem Epocha ut & sequentium sit norma, bene ante omnia tenendum, uno eodemque tempore cœpisse & Philistæam & Ammoniticam Servitutem, manifeste hoc ingerente *Textu Sacro*, dum, quæ deinde separatim sint exponenda, junctim statim recensentur *cit. loc. Judic.* X, 7.

In colligendâ nimirum annorum summâ omittendi & 18 illi, quibus duravit (*Judic.* X, 8) Ammonitarum dominatio, & ipsi 6, quibus, secundum (*Judic.* XII, 7, Victor eorum (Filiæque idem ex voto, sed temere, nec sine crudelitate, creditus immolator) *Jephre* non totius Israelis, sed

sed aliquot Tribuum Judex fuit; quin jam & sequentes 25, quorum 7 *Ibsoni*, 10 *Eloni*, 8 *Abdoni*, tribus Jephthæ Successoribus imputantur *Judic. XII, 9, 11, 14*. Ita in univcrsum fit lucrum annorum 49.

Jam vero intra spatium Servitutis Philistææ, quod fuit annorum 40, *Judic. XIII, 1*, concludi etiam debent anni SIMSONIS 20, de quibus *Judic. XVI, 31*, & HELII illi 40, juxta *1 Sam. IV, 18*.

De Simfone nullum est dubium. Quod *cit. loc. Judic. XVI, 31*, simpliciter effertur, ante dictum erat, *Cap. XV, 20*, hunc in modum; *vindicavit autem Israelitem temporibus Philistæorum 20 annis*.

Respectu Helii consideranda, quæ scribuntur *1 Sam. VII, 2*, factâ collatione cum *1 Sam. IV, 18*. Commodissima est explicatio, si ita dicatur: post fata Jairi Judicis vicem obituro Sacerdote Helio, ingruisse statim Philistæos; contra hos per 20 annos facinororum aliquid edidisse Virum heroicæ virtutis Simsonem; ejus post mortem non alium fuisse, qui gravi servitute illâ a parte pressis utcumque jus diceret, præter Helium; mortem au-

tem hujus & cœdam cladem excepisse meliora sub Samuele tempora, postquam *Arca jam multis diebus fuisset in urbe Jetharimorum*, postquam vero fortis aliquis publicæ rei defensor post mortem Simsonis *per annos jam 20* nullus fuisset. Ita Simsonis tempora incident in priorem partem annorum, qui tribuuntur Helio. Utriusque ævum Servitutis Philistææ spatio includatur.

Talem juxta ordinationem hæctenus non numerantur nisi anni 40.

Sequentium inde temporum respectu SAMUELI imputari possunt anni 16.

Moribus Samuel reformatis feliciter rem perculsam restituerat, memorabili de Philistæis victoriâ apud locum inde nomen adeptum *Ebenhaefer*, *1 Sam. VII, 12*.

Filios quum assumpsisset in societatem curæ, insolenter illis sese gerentibus, postulavit Populus, ut, mutatâ Reipublicæ formâ, *Rex* constitueretur, desiderium ejus haud quâquam minuentibus, quæ inde eventura prædicebantur. *1 Sam. VIII, 11, 12, 13, seqq.*

De formâ Reip. quæ hæctenus

aus

nus fuit, notabilis est locus *Josephi lib. 2. contr. Apion.* οἱ μὲν γὰρ μοναρχίας, οἱ δὲ ἄλλοι ἢ πῶς ἀλίγων δυναστειῶν, ἢ πῶς ἀλίγων ἐπέταξε-  
 ψαν ἢ ἐξουσίαν ἢ πολιτευμάτων. Ὁ δὲ ἡμέτερος Νομοθέτης εἰς μὲν πού-  
 των οὐδοποῦν ἀπέιδεν, αἷς δ' ἂν τις  
 εἰποι βιασάμενος τὸν λόγον, θεοκρα-  
 τίαν ἀπέπεισεν τὸ πολίτευμα, Θεῶν  
 μᾶλλον μόνον τὴν ἀρχὴν καὶ τὸ κρεῖ-  
 ττον ἀναθεῖς: *quidam enim monar-*  
*chiis, quidam paucorum imperiis,*  
*alii multitudinis permisere potestatem*  
*administranda reipublica. Noster*  
*autem Legislator nihil horum respec-*  
*xit, verum ut aliquis dicat, invento*  
*per necessitatem vocabulo, Theo-*  
*cratiam declaravit Reipublica for-*  
*matam, Deo potius soli imperium &*  
*potestatem attribuens.*

Quod appellatione *Judicum*,  
 consueto Orientalibus more, in-  
 tellecti fuerint, qui in eo diversi  
 essent a Regibus, quod vel extra  
 ordinem, & quum res posceret,  
 crearentur, vel potestatem ac-  
 ciperent non perpetuam nec in  
 hæredes transmittendam, id il-  
 lustratur collatione eorum, quæ  
 sunt apud *Josephum lib. 1. contr.*  
*Apion.* ( de Tyriis Insularibus,  
 quod habuerint modo Reges,  
 modo *Δυναστίας* ) cum iis, quæ le-  
 guntur apud *Livium lib. 28. cap.*  
*37. lib. 30. cap. 7. lib. 34. cap. 61,*

de Carthaginensium ( hi Tyri-  
 orum Coloni ) Magistratibus.  
 Nimirum vocantur illi *Suffetes*,  
 quod ipsum est Hebraicum  
 שופט, minus quidem pro-  
 bandâ *Scaligeri, Drusii, & Seldeni*  
 derivatione a שפט, quasi שפט  
 fit idem quod שפט, ἐπέταξε,  
 δίκαιοπον.

Collationem novi honoris in-  
 signem fecere aliquot ritus, inter  
 quos & unctio, *1 Sam. X, 1.*

Certa de unctio est observa-  
 tio, repetitam fuisse, quum ortâ  
 factione opus ita esset, ut Rex  
 verus nosceretur, id quod often-  
 dunt loca, de *Salomone* propter  
*Adoniam, 1 Reg. I, 39,* & de *Joaso*  
 propter *Athaliaam, 2 Chron. XXIII,*  
 II.

Certum & hoc, magni cam  
 momenti habitam, explicandis  
 inde haud dubie locutionibus  
 istis, de iis, qui a Deo peculi-  
 ariter ad magnum aliquod opus  
 destinati, ut *Psalms. CV, 15. Esai.*  
*XLV, 1. Zachar. IV, 14.*

Fueritne instituta ad exem-  
 plum unctiois Sacerdotalis, de  
 quâ *Exod. XXX.* non satis est  
 compertum.

*Josephus* est, qui dicit *Αρχαιολ.*  
*lib. 6. cap. 6.* unctum esse Saulem  
 τῷ ἁγίῳ ἐλαίῳ. Nihil de eo in  
*Textu Sacro.*

Idem illud Chrisma, de quo *Exod. XXX*, incorruptum durasse usque ad Josiam Regem, & per annos circiter 900 tam Pontificibus quam Regibus Davidicis inungendis suffecisse, dum Reges interim Israelis ungerentur Balsamo, *Thalmudicorum* est traditio, quæ ostendit, ut Regum inter Christianos unctionem, ita & fabulam de *Ampullâ Rhemensi* exemplo non carere.

Qui primus novum honorem adeptus est SAUL, regnandi tempus, quod totum exercitissimum, *1 Sam. XIV, 47*, annorum habuit 40.

Ita diserte *Aetor. XIII, 21*. & consentit *Josephus Aegyptior. lib. 6. cap. ult. sub. fin.* Nimia est simplicitas de solo cogitare biennio ob locum *1 Sam. XIII, 1*. Agitur illic de initio belli Philistæi tum crudescens.

Viventi adhuc Sauli successor dudum destinatus DAVID, *1 Sam. XVI, 13*, mortuo quidem illo Filium ejus æmulum habuit *Ischboserthum* usque in annum octavum, sed exinde solus regnavit annis adhuc 33, in totum adeo (*2 Sam. V, 4. 5, locisque pluribus*) annis 40.

Domi turbas ei dedit Filius *Abshalomus*, *2 Sam. XV, seqq.*

Externos contra hostes continui Viro successus, *passim lib. 2. Sam. & 1 Chron. jam inde a cap. XI.* Summa rerum gestarum exhibetur *2 Sam. VIII, 12, 13, 14.*

Sub ipso regni sedes constituta *Hierosolymis*, victis Jebusæis, qui arcem Zionis inde a geodæsiâ huc usque infederant. *2 Sam. V, 6, 7, 8. & 1 Chron. XI, 5, 6, 7.* Saulis habitatio fuerat Gibeæ, *1 Sam. X, 26.* Judicum, ut erant e diversis Tribubus, alia alibi, *Judic. IV, 5. 1 Sam. VII, 17.* Juristicundo aliquando Conventus circumiti, *1 Sam. VII, 16.* Comitata habita Schilunte, *Jos. XVIII, 1, Sichemi, Jos. XXIV, 1, Mizpæ, 1 Sam. X, 17, Gilgale, 1 Sam. XI, 15, Sichemi & iisdem habendis ad constituendum Regem Rehabeamum, 1 Reg. XII, 1, & 2 Chron. X, 1.*

Unde certior etiam rerum constitutio expectaretur, inprimis hoc fuit, quod Davidi successerit Filius Salomo.

Judicum successio ne continua quidem fuerat, nedum hæreditaria. Abimelecho post Patrem dominationem arripuisse minime lætum fuit. *Judic. IX.* Samuelem filios sibi substituentem turbavit Populus Regem desiderans. *1 Sam. VIII.* Sauli, dum

dum viveret, jam reprobato, Filius Ischbosethus, non nisi in parte regni, neque in longum, successit. 2 Sam. II, 10. Hæreditaria esse cœpit potestas a Davide. Hujus pietati datum, ut Regnum, mox quidem minuendum, continuâ tamen serie tenerent Posterii. Unde plenitudo potestatis intelligatur, illud erat, quod majori natu *Adonia*, jam successorem se ferenti, judicio Patris prælatus fuerit *Salomo*. 1 Reg. I.

Reliquis ad hunc Salomonem spectantibus præmitti debet observatio de anno *structi ab ipso Templi*, in quo scilicet memorabilis est Epocha.

Fuisse illum annum regnanti Salomoni quartum, ab Exitu autem ex *Ægypto* quadringentesimum octuagesimum, diserte scriptum est 1 Reg. VI, 1.

Parum conveniens esset *Institutionum* harum proposito, sigillatim commemorare, quam immensâ sit varietas sententiarum in digerendis temporibus, quorum ista exhibetur summa.

Satis est adjecto Laterculo ostendere, qualis sit *vulgaris* illa computatio, quæ omittit omnes Servitutes, itemque illa *Petarvii*, quæ variâ utitur ratione, ad eximendos numeros abundantes;

primo quidem inchoando annos 480 non nisi ab occupatione Terræ promissæ sub Josuâ, mox tribuendo Josuæ annos modo 14, & Generationi Impiæ 10, deinde autem confundendo tempora Servitutis Ammoniticæ cum temporibus Jephthæ & Successorum, pariterque Philistææ cum annis Simsonis & Helii.

In Laterculo, ut res tota sit magis perspicua, junctim exhibetur etiam illa digestio, quæ ex mente Politissimi *Marshami* per partes jam ante propofita est.

Ex plurimis argumentis, quibus ostendi potest, quam nihil isti digestioni sit præferendum, vel unicum hoc sufficiat, quod nullâ ratione probari possit neglectus illius divisionis, quâ totum intervallum dispescitur in partes duas, secundum Epocham, quæ ex Jephthæ Oratione, *Judic. XI, 26*, necessario constitui debet.

Admissâ duplici coordinatione, cui admittendæ ipsam *Scripturam Sacram* præire ostensum est, Epochæ illius convenienter ratio habetur, & viâ admodum simplici ac facili omnis tollitur difficultas, quæ cæteroquin nimia quibusdam visa.

Anni, qui in <i>Se-</i> <i>cris Literis ex-</i> <i>primuntur.</i>	Numeratio omissis Ser- vitutum spatiis.	Secun- dum <i>Petavi-</i> <i>um.</i>	Secun- dum <i>Mars-</i> <i>hamū.</i>
Peregrinationis, five Mosis	40	40	40
Josuae	0	17	25
Generationis Impiae	0	0	10
Servitutis I sub Mesopotamenis	8	0	8
Quietis per Othonielem partae	40	40	40
Servitutis II sub Moabitis	18	0	18
Quietis per Ehudem partae	80	80	80
Servitutis III sub Cananaeis	20	0	0
Quietis per Deborah & Bar. partae	40	40	0
Servitutis IV sub Madianitis	7	0	7
Quietis per Gideonem partae	40	40	40
Abimelechi	3	3	3
Tholae	23	23	23
Jairi	22	22	22
Servitutis V sub Ammonitis	18	0	340
Jephtae	6	6	0
Ibsonis	7	7	0
Elonis	10	10	0
Abdonis	8	8	0
Servitutis VI sub Philistaeis	40	0	40
Simfonis	20	20	0
Helii	40	40	0
Samuelis	0	0	16
Saulis	40	40	40
Davidis	40	40	40
Salomonis	4	4	4
	574	480	140

Post annum istum quartum, annis Salomonem adhuc regnans  
quo exstrui coepit Templum, se 36, extra dubium est, siqui-  
dem



dem in universum 40 ei impu-  
tantur 1 Reg. XI, 42. 2 Chron. IX,  
30, *Josepho*, ut nunquam, quo-  
ties cum *S. Scripturâ* pugnat, ita  
neque hic audiendo de annis 80.

Rerum, quæ in SALOMONE  
notandæ, hæc summa est, fuisse  
Virum, ut Opibus & Sapientiâ  
insigniter clarum, ita recti, hu-  
mano more, non semper tena-  
cem, unde & factum, ut post  
mortem ejus, diffidio, quod olim  
natum fuerat, redintegrato, bi-  
fariam regnaretur.

*Opes* intelliguntur ex affinita-  
te, amicitia, & donis vicinorum  
Regum, ex Aulae & Officia-  
lium eximio splendore, ex Tem-  
pli, Regiarum Ædium, & Ur-  
bium sumptuosis exstructioni-  
bus, de quibus passim *lib. 1 Reg.*  
*capp. priorr. XI.* & *2 Chron. capp.*  
*priorr. IX.*

Imperii quod attinet amplitu-  
dinem, regnabatur a Thiphsach  
(Thapfacus est, ubi *Straboni lib.*  
*16. τὸ ζεύγμα τοῦ Εὐφράτου τὸ πει-*  
*λαῖν, veteris Euphratis tractus*) us-  
que ad Ægyptum. 1 Reg. IV. 21,  
24. 2 Chron. IX, 26. Fructus hic er-  
rat virtutis & felicitatis paternæ.  
Antea termini Israelis fuerant  
*Dan & Berséba. Judic. XX, 1. 1 Sam.*  
*III, 20. 2 Sam. XVII, 11. & alibi.*

Ante omnia notabilis hac in

parte Nagivatio Ophiræa, quæ  
instituebatur ex *Exiongeber*, quæ  
prope *Eloth* (*Aila* est in *Norit.*  
*Imp.*) ad Sinum Arabicum in Idu-  
mæâ, nuper domitâ, 1 Reg. IX,  
26. 2 Chron. VIII, 17, non affuetos  
juvantibus Tyriis, Servis Hira-  
mi, 1 Reg. IX, 27. 2 Chron. VIII, 18.

Impendebatur singulis profe-  
ctionibus triennium 1 Reg. X, 22.  
2 Chron. IX, 21. Ergo non cogi-  
tandum de Ophirâ Arabicâ,  
quæ intelligenda *Job. XXII, 24.*  
*XXVIII, 16.* & *1 Chron. XXIX, 4;*  
Sed de aliâ remotiore, cui pri-  
oris nomen inditum a similitu-  
dine abundantia vel commercii,  
cujus scilicet respectu & capien-  
da locutio *Naves תרשיש*.

Ubi sit quærenda illa Salo-  
monis Ophira, haud quaquam  
convenit. Sententiæ sunt variæ.

Qui de *Novo Orbe* cogitarunt,  
quasi *aurum Parvajim*, 2 Chron.  
III, 6, accipi debeat pro *aurum*  
*Pernano*, minime sequendi sunt.  
Caret Peru ebore, & sine pyxi-  
de adiri non potuit.

Probabilior sententia *Josephi*  
de *Auræ Chersoneso*, *Volaterrani*  
illa, & *Ortelii*, quæ & *Marshamo*  
placuit, de *Zophalâ*, aut *Bocharti*  
ista de *Taprobana*, quasi ita dictâ  
a *Taph* & *Parvajim*, *litus, ora*  
*Parvajim.*

Potest

Potest etiam accipi vox Ophir pro generali nomine Regionum plurium, quæ omnes aditæ sint pro varietate mercium & opum, quemadmodum Indicæ navigationis appellatione etiam Portus Arabici, Sinus Persicus, Insulæ, China, & Japponia nobis intelliguntur. Ita *Spanhem. Hist. Eccl. Vet. Test. Epoch. V, num. VI.*

De Salomonis Sapientiâ fufe 1 *Reg. IV, 29, 30, seqq.* Referri eodem debet, ex *cap. preced.* admiratio quam dedit iudicium inter duas Mulieres; magis vero fama, quæ excivit Reginam *שבע* 1 *Reg. X. 2 Chron. IX. i. e. Sabeorum*, qui in australi parte Arabiæ Felicis. Sic illa *Βασίλισσα Νότιου*, *Regina Noti*, quæque venerat *ἐν τῶν ἀκροῦτων τῆ γῆς*, ab *extremitate Terre*, *Matth. XII, 42. Luc. XI, 31.* Nec opus est cum *Josepho Antiq. lib. 8, cap. 2*, Ægypti simul & Æthiopiæ Reginam eam facere.

Modum, quo Regina ista exploraverit Sapiëntiam Salomonis, in tantum notat *Textus Sacer*, ut constat de propositis ipsi *הידות* *enigmatibus.* 1 *Reg. X, 1.* Quod fertur de propositis ipsi Pueris & Puellis, pari habitu, dijudicatoque ipsi ex gestibus sexu, *Glycam & Cedrenum* auto-

res habet.

Inter ἀρεαφα sunt & *Josephi* illa de *scriptis ἑσπεραῖς, ἀπὸ παρρηγορητικῶν τῶν νοσημάτων*, *imprecationibus*, quibus abiguntur morbi, & *relictis τῶν ποτῶν ἐξορκωσέων* *modis exorcismorum*, ad pellenda Dæmonia. Sed talia prosequi nihil attinet.

*Recti* Salomonem non semper *tenacem fuisse* (notabili argumento, quam vere dictum sit a *Salustio Bell. Caril. cap. 11, etiam Sapiëntium animos secundis rebus fatigari*) ita *S. Scriptura* declarat, ut & significet rei istius modum, in assumendis scilicet Mulieribus, quæ partim Uxores, partim Concubinæ essent, tanto numero, qui omne exemplum sit supergressus, & quidem Mulieribus alienigenis, quæ blanditiis suis ad multiplicem ipsum idolatriam pertraxerint. Diferte ita 1 *Reg. XI, 4, 5, seqq.*

Meliorem ad mentem an aliquando redierit quærentibus affirmandi argumentum videtur esse in 2 *Sam. VII, 14, 15*, id quod etiam juvet observatio de scripto *Ecclesiaste*, post multam vitiorum & humanæ stultitiæ experientiam, cujus jam poeniteret; addentibus quibusdam & circumstantiam de mendicato ofiatim

offitiam pane; *Iosepho* autem *Antiq. lib. 8, cap. 2*, simpliciter affirmante, quod ἀνδρῶν ἀπέθαιεν.

Quicquid sit, secutâ de panâ constat. Mala, quæ jam vivo obtigerant, *1 Reg. XI*, post mortem excepit *Regni divisio*, iræ divinæ subserviente Rehabeami temeritate, *1 Reg. XII, 15*, & *2 Chron. X, 15*.

Altius repetenda causa a vetustate dissidii Israelitici. Nunquam bene omnes Tribus cohæserant. Quoties Judices extra ordinem excitati non essent, singulas sibi res suas habuisse, pronuntiat *Gravius ad pr. Libr. Judic.* Ductarum huic illi non nisi aliquot Tribuum exempla *Judic. IV, 10. VI, 34, 35. & XII, 2*.

Qualicumque interim studiorum in diversitate, duæ erant Tribus, *Ephraimi & Juda*, quarum quasi ducatu reliquæ in duas potissimum partes, sed inæquales, sevellebantur.

De fundamento æmulationis locus est *1 Chron. V, 1, 2*, conferendis *Genes. XXXV, 22*, & *XLIX, 4*, de adempto Rubeni jure primogeniti ob violatum Patris torum, itemque *Genes. XLVIII, 22*, de datâ Ephraimo parte unâ supra Fratres, ac *Genes.*

*XLIX, 9, 10, seqq.* de Duce constituto Judâ: ut ita intelligamus, quodammodo inter ipsos divisum, quod Ruben amiserat.

Exempla dissidii, *1 Sam. XI, 8*, ubi separatim recensentur Israelitarum 300000, Virorum Judæ 30000; *2 Sam. II, III, IV*, ubi de Davide per annos 7 non nisi Judæ Rege; *2 Sam. XX, 1, 2*, ubi de Schismate per Schebathum Filium Bicri: intelligendâ & rei naturâ ex eo, quod dicit David *1 Reg. I, 35*, velle se, ut sit antecessor Salomo in *Israele & in Juda*.

Eum in modum intelligitur, Schisma, quod vetus fuerat, post mortem Salomonis ita recruduisse, ut perpetuum fuerit.

Duplicis hinc Regni ut commemoretur successio, non separatim, ut in omnibus aliis, sed eâ alternatione, quæ annos utrorumque Regum inter se connectat, ipsa præeuntis in hoc *S. Scripture* ratio exigit. Illud insuper faciendum, ut iidem anni innectantur *Æra Templi*.

Qui anno hujus 37 Patrem excepit REHABEAMUS, sed non nisi Tribui Judæ & Benjaminis parti præfuturus, regnavit annis 17. *1 Reg. XIV, 21. 2 Chron. XII, 13.*

C

BONUS

Bonus per triennium, *2 Chron.* XI, 17, mox recti a tramite deflexit. Inde malum, quod passus anno regni sui quinto, procedente tunc in Asiam Ægypti Rege *Sefaco*, *1 Reg.* XIV, 25. *2 Chron.* XII, 2.

Sefacum illum (Σουσακον *Josepho*, Σουσακονη τις LXX) Sefostrim esse, qui aliis Sefonchosis, & Sethosis, *Marshamus* docuit, fundamento sane, contra eos, qui antiquiorem illum faciunt, haud quaquam levi; de quo mox in Rebus Ægyptiacis.

Qui avulsis ab Judâ Tribubus regnabat JEROBOAMUS, grave nihil passus est ab isto Sefaco, tutus clientelâ & amicitia, quæ contracta in Ægypto, quum illuc fugisset, a Salomone ad necem quæsitus. *1 Reg.* XI, 40.

Colebantur illic duo Boves, *Mnevis* & *Apis*, hic Memphi, ille Heliopoli: & fuerat inde Israelitis jam olim peccandi occasio. *Exod.* XXXII. Jeroboamus, ut erat impie solers, Sacrorum mutatione potentiam sibi firmaturus, exemplo isto Ægyptiaco, duorum instituit *Vtutorum* cultum. Alterius sedes Dan, alterius Bethel. *1 Reg.* XII, 27, 28, *seqq.*

Perfiteri in hoc peccato Isra-

elis Reges, ad unum omnes impii, & ab Jeroboami isto instituto, nisi ut & aliarum Gentium Idola colerentur, nunquam recedentes.

Pœna tanti flagitii primo auctori fuit acceptam cladem, *2 Chron.* XIII, 19, 20, secutura mox ruina Domus, puniendis subinde hoc supplicii genere etiam Successoribus, dum interrim in Judæ Regno Davidis Posteritas durat.

Succesit ibi Patri ABIA, vitiorum quidem illius imitator, *1 Reg.* XV, 3, idem tamen, quum præsentè periculo divinam implorasset opem, in frangendis Jeroboami opibus felix, *2 Chron.* XIII, 19, 20, 21.

Cœperat Abia regnare anno Jeroboami 18, *2 Reg.* XV, 1. *2 Chron.* XIII, 1. Annus ille Templi 54, Rehabeami scilicet & Jeroboami eodem intelligendo initio.

Regnavit Abia annis 3, *1 Reg.* XV, 2, *2 Chron.* XIII, 2. sed hi habendi pro incompletis.

Succesit ei filius ASA, anno Jeroboami 20, *1 Reg.* XV, 9. hic annus Templi 56.

Asæ laudabiliter regnare orsi, *1 Reg.* XV, 12, 13. *2 Chron.* XV, 16, ea fuit felicitas, ut ingentes copias

pias, quas ducebat Zerah הכוש *Arabs* non *Ethiops*, deleret, 2 *Chron.* XIV, 9, 10, *seqq.* utque Baasam occisi Nadabi in Regno Israelis successorem, munitâ Ramâ gravem futurum, immisissis Syris sub Benhadado averteret, 1 *Reg.* XV, 16, 17, *seqq.* 2 *Chron.* XVI, 1, 2, *seqq.* moribus, ut alias, nocituro successu, 2 *Chron.* XVI, 7, 8, *seqq.*

Fuit NADABUS Filius Jeroboami. Regnavit Jeroboamus annis 22, 1 *Reg.* XIV, 20. Continetur istis & regnantis simul Filii illud biennium, quod huic imputatur 1 *Reg.* XV, 25. Ultra annos 22 Sceptrum non mansit in Domo illâ.

Everfor ejus BAASA regnare cepit anno Asæ 3, qui Templi 58, 1 *Reg.* XV, 28. Regnavit annis 24, *ibid.* v. 33, pervenitque adeo ad annum Asæ 26, 1 *Reg.* XVI, 8. difficili inde interpretatione loci de anno Asæ 36, quo Baasa cepit munire Ramam, 2 *Chron.* XVI, 1, nisi annorum illorum initium deducatur ab initio Schismatis.

Anno Asæ 26, qui Templi 81, regnavit Israel Filius Baasæ ELA, 1 *Reg.* XVI, 8, annis 2, *ibid.* sed incompletis.

Quippe paternæ simul suæ-

que impietatis quum poenas dedisset Ela, percussor ejus ZIMRI regnavit anno Asæ 27, qui Templi 82, 1 *Reg.* XVI, 15, non nisi diebus septem, *ibid.*

Regnavit inde OMRI, oppresso æmulo TIBNI 1 *Reg.* XVI, 22, & anno post sexto ineunte, quum regnasset Asa annis 31, *ibid.* 23, Samariam condidit, ubi Regni exinde Sedes, quum antea fuisset Sichemi, 1 *Reg.* XII, 25, Penuele, *ibid.* & Thirzæ 1 *Reg.* XIV, 17. XV, 21. 33. XVI, 17.

Fuere anni Omri 12, 1 *Reg.* XVI, 23, ita ut regnaverit usque in annum Asæ 38, qui Templi est 93. Eo scilicet anno regnare cepit Filius ejus ACHAB. *dict.* cap. v. 29.

Quum regnasset Asa annis 41, juxta 1 *Reg.* XV, 10, & 2 *Chron.* XVI, 13, anno Achabi 4, Templi 96, regnare cepit Filius Asæ JOSAPHAT, 1 *Reg.* XXII, 41.

Fuit hic Josaphat, ut opibus fidem pene excessuris (dum tribuuntur ei armatorum millia undecies centena & sexaginta, præter eos, qui erant in præsidiiis; distinctâ tamen partium collectione nullam relinquente suspicionem de mendo) 2 *Chron.* XVII, 14, 15, *seqq.* itemque bellis, contra Ammonitas, Moabitæ,

bitas, aliosque, prospere gestis, 2 *Chron.* XX, ita & singulari morum probitate illustris, 1 *Reg.* XXII, 43, 2 *Chron.* XVII, 3, 4, 6, 7. *seqq.*

Habuit interim, quod unice mirandum, amicum simul & confocerum illaudabilem Israelis Regem Achabum, 2 *Chron.* XVIII, 1, 2, societatem cum eisdem Filio Achaziâ palam Deo & arguente & puniente, 1 *Reg.* XXII, 49. 2 *Chron.* XX, 35, 36, 37.

Erat ACHAB Omri Patre, viro non optimo, 1 *Reg.* XVI, 25, aliquanto deterior, 1 *Reg.* XVI, 30, *seqq.* Accedente sceleratæ Uxoris *Izebelis* ingenio, *ibid.* v. 31, divini pariter & humani juris neglectum ostenderunt, fœdissima facinora, in multiplicandâ Idololatriâ *dict. cap. v. 32, 33*, excindendis Prophetis, 1 *Reg.* XVIII, 4, & subornandis innocenti Nabotho, quum vineæ venditionem abnueret, accusatoribus, unde cruentum ei exitium. 1 *Reg.* XXI.

Talibus Parentibus ut non dissimilis fuit ACHAZIA, 2 *Reg.* I, utque nec Frater hujus JEHORAM, omni ab culpâ satis immunem se exhibuit, 2 *Reg.* III, 2, 3; ita punita est multiplex pravitas tam singularum quam univer-

sæ Domus memorabili excidio.

Ipsæ Achab perit in prælio contra Syros, 1 *Reg.* XXII, 35; Achazia gravi lapsu per cancellos, 2 *Reg.* I, 2, 17; Jehoram vulnerare, quod ipse oppressor ejus Jehu ei inflixit, 2 *Reg.* IX, 24; eodemque jubente Izebelem per fenestras dejectam canes dilaniarunt, *ibid.* 33, 34, *seqq.*; septuaginta Achabi Filios crudeliter jugularunt Samaritani, 2 *Reg.* X, 7, perituris mox & omnibus ejus necessariis & agnatis, *ibid.* v. 11, 13, 17.

Josaphati Filio JEHORAMO etiam fraudi fuit contagio vitiorum, quam affinitas dederat, amissâ sub ipso Idumæâ, 2 *Reg.* VIII, 18, 20, *seqq.* 2 *Chron.* XXI, 8, *seqq.*

Natum Jehoram isto ACHAZIAM alterius Jehorami Avunculi ruina involvit, 2 *Reg.* IX, 27. 2 *Chron.* XXII, 9, augente malum crudeli Athaliâ, dum Nepotes occidit, ut ipsa regnet, 2 *Reg.* XI, 1. 2 *Chron.* XXII, 10.

Temporis ordinatio hæc est. Anno Josaphati 17, Templi 112, regnavit Achazia Rex Israelis una cum Patre Achabo, annis fere 2, 1 *Reg.* XXII, 52, antequam socius regni fieret Frater Jehoram, qui scilicet regnavit anno

anno Josaphati 18, Templi 113, 2 *Reg.* III, 1, Achabo Patre tunc implente annum 22, qui ultimus; juxta 1 *Reg.* XVI, 29.

Anno Israelitici Jehorami 5, Templi 117, Josaphati adeo 22, regnavit Judæ Josaphati Filius Jehoramus alter, 2 *Reg.* VIII, 16, una scilicet cum Patre, cujus adeo de annis 25, qui imputantur 1 *Reg.* XXII, 42, eximuntur reliqui.

Anno Jehorami Judæi 2, Templi 118, solus regnare cœpit Rex Israelis Jehoram, 2 *Reg.* I, 17, moriente tum Fratre Achazia, qui post exactum simul cum Patre biennium, quod exprimitur 1 *Reg.* XXII, 52, hactenus quidem vitam produxerat, sed regni socio Jehoramo.

Quum jam Jehoramus Judæ Rex partim cum Patre partim solus regnasset annis 8, 2 *Reg.* VIII, 17, quumque Jehoramo Israelis Regi partim cum Fratre partim soli exacti essent anni 11, 2 *Reg.* IX, 29, adeoque iniisset annus hujus 12, 2 *Reg.* VIII, 25, qui scilicet Templi 124, tum successit Jehoramo Judæ Regi Filius Achazia. *ibid.*

Anno Templi sequente 125, quum regnasset Achazia Rex Judæ anno 1, 2 *Reg.* VIII, 26,

quumque Jehoramo Regi Israelis aliquanto plusquam completi jam essent anni 12, juxta 2 *Reg.* III, 1, utrumque occidit Jehu 2 *Reg.* IX, 24, 27.

Sic anno Templi 125 regnare in Judæ cœpit ATHALIA, in Israele ipse JEHU.

Anno post 7, Templi 131, Mulierem impiam evertit Sacerdos Jojada; & regnare justus est Joas, quem crudelitati Athaliae subdlexerat & absconderat Amita Josaba, Jojadæ Uxor, 2 *Reg.* XI. 2 *Chron.* XXIII.

Bonum ille exhibuit Principem, dum recta suadenti eidem Jojadæ obtemperat, 2 *Reg.* XII, 2. 2 *Chron.* XXIV, 2, mox adulationibus corruptus, 2 *Chron.* XXIV, 17, ingruentes Syros sub Hazaele non nisi ingentibus donis avertere potuit, 2 *Reg.* XII, 18, ad postremum a suis cæsus est. *ibid.* v. 20. 2 *Chron.* XXIV, 25.

Achabidarum, ipso Dei jussu, 2 *Reg.* IX, 7, 8, *segg.* interfectores, & nimiae eorum impunitatis, 2 *Reg.* X, 18, 19, exterminator Jehu, quum tamen & ipse retineret Vitulorum cultum a Jeroboamo institutum, *ibid.* v. 29, graves admodum passus est eosdem Syros, *ibid.* v. 32, *segg.*

Regnaverat Jehu annis 28, 2 *Reg.*

2 Reg. X, 36. Successit ei Filius JEHOACHAZ anno Joasi 23, Templi 153, 2 Reg. XIII, 1, ob impietatem & ipse Syris, partim sub Hazacle, partim sub Benhadado II, obnoxius, 2 Reg. XIII, 3, donec pacem Numinis exposceret, *ibid.* v. 4. a quo tempore mutata fortuna triplici etiam prælio prospera fuit Successori JEHOASO, *ibid.* v. 25.

Anni Jehoachazo imputantur 17, *ibid.* v. 1. Sed posteriori biennio Regni jam socius fuit Filius ille Jehoasus, ut qui regnare cœpit anno Joasi Judæ Regis 37, *ibid.* v. 10. Is annus est Templi 167.

Anno Jehoasi 2, qui Templi 168, regnare cœpit Judæ AMASIA, 2 Reg. XIV, 1. Erat is annus Patris Joasi 38, junctim a deo exigendo biennio, quod huic reliquum de annis 40, 2 Reg. XII, 1. 2 Chron. XXIV, 1.

Amasiæ, post cladem, ob vitios Idumæos, superbienti, ab Israelis Rege Jehoaso illatam, 2 Reg. XIV, 7, 8, *seqq.* mox factum fuit paterno simile, *ibid.* v. 19. 20. 2 Chron. XXV, 27.

Anno Amasiæ 15, Templi 182, regnare cœpit JEROBOAM II, 2 Reg. XIV, 23, quum scilicet Pater Jehoasus regnasset

annis 16, juxta 2 Reg. XIII, 10.

Regnavit Amasia in totum annis 29, 2 Reg. XIV, 2. 2 Chron. XXV, 1. Anno 26, qui sit Jeroboami 12, Templi 193, in confortium ipsi assumptum fuisse Filium AZARIAM, qui & UZZIA dicitur, inde patet, quod cum anno Jeroboami 27, qui est Templi 208, 2 Reg. XV, 1, 2, componatur annus Azariæ 16, post quem scilicet reliqui de 52, *ibid.* 2, inglorie acti, dum Sacrorum curæ ingerere se auso foeda lues pro poenâ erat. *ibid.* v. 5. 2 Chron. XXVI, 21. Ut ita explicetur illud עשרה בן שש עשרה *filii sedecim annorum erat in regnando*, 2 Reg. XV, 2. & 2 Chron. XXVI, 1, 3, plane necessarium est, mirâ cæteroque difficultate futurâ. An quidem fieri id possit ambigenti argumentum sit ex 1 Sam. XIII, 1,

בן שש עשרה *filii anni Saul in regnando*.

Rerum ad statum quod attinet, ut per Azariam iterum auctum Regnum Judaicum, 2 Reg. XIV, 22. 2 Chron. XXVI, 2, 6, 7. *seqq.* ita nec Israelitas fortunæ poenitebat, dum pridem amissa recuperabat Jeroboamus, 2 Reg. XIV, 25, 26, 27.

At mortem hujus (quæ contigit,



tigit, quum regnasset annis 41, 2 Reg. XIV, 23, anno adeo Templi 222) excepit 7 annorum interregnum; siquidem anno deum Azariae 38, Templi 230, regnavit Israeli ZACHARIAS, 2 Reg. XV, 8.

Zachariam hunc e Jesu Pofferis ultimum post semestrem potentiam *loc. cit.* interfecit SHALLUMUS, primum statim post mensem, ipse tollendus a MENAHEMO. *ibid.* v. 13, 14.

Anno Azariae 39, Templi 231, regnum adeptus est Menahem, 2 Reg. XV, 17, idque tenuit per annos 10, *ibid.* sed obnoxius Assyriis Rege Phuletum invalescentibus. v. 19.

Anno Azariae 50, Templi 242, regnare coepit Menahemi Filius PEKAHIA, *cit. cap. v. 23*, eumque post biennium, *ibid.* interfecit PEKA, v. 25, ita ut hujus initium fuerit anno Azariae 52, Templi 244, v. 27. qui jam Azariae ultimus, juxta 2 Reg. XV, 2, & 2 Chron. XXVI, 3.

Qui Azariae in Regno Judae successit Filius JOTHAM, sequenti anno, Pekae 2, Templi 245, 2 Reg. XV, 32, gravem quidem passus est hunc Pekam, simulque socios Syros sub Rezine, *ibid.* v. 37: at ipsi Pekae gravior

fuit Rex Assyriorum Teglyphulassar, partem regni occupans, *ibid.* v. 29, cui mox nomen Galilae, a notione impositi limitis; id enim vox גליל signficat.

Contigit res ista in diebus Pekae, *ibid.* sed regnante jam Judaeis ACHAZO, ut patet ex *cap. seq. v. 7.* cui scilicet Achazo initium regnandi fuit anno Pekae 17, Templi 260, *eod. cap. XVI. v. 1.* quum jam regnasset Pater ejus Jotham annis 16, juxta 2 Reg. XV, 33, 2 Chron. XXVII, 1, 8, una adeo cum Filio expleturus quadriennium, quod reliquum, quum in universum regnaverit annis 20, juxta 2 Reg. XV, 30.

Anno 20 Jothami, qui jam Templi 264, contra Pekam, qui tum expleverat suos annos 20, juxta 2 Reg. XV, 27, conjuravit HOSEA, & interfecto ipse successit, v. 30.

Anno Hoseae 3, Templi 266, Judae regnare coepit HISKIA, 2 Reg. XVIII, 1, consors adeo Patri Achazo, qui jam regnaverit annis 6, reliquos de 16, juxta 2 Reg. XVI, 2, junctim cum Filio exacturus.

Anno Hiskiae 4, Hoseae 7, qui Templi 270, Salmanassar Rex Assyriorum obsedit Samariam, 2 Reg. XVIII, 9.

Post

Post annos 3, anno Hiskiaë 6, Hofeaë 9, Templi 272, Urbs est expugnata. *ibid.* v. 10.

Annus iste Hofeaë 9 fuit & Ipsi & Regno ultimus, versu 1 *cap. preced.* XVII ita vertendo: anno 12 *Achaz* (hic Hiskiaë 6 juxta ante dicta) non regnare cepit, sed jam regnaverat annis 9. Hoc iterum confirmatur *eod. cap. v. 6.*

Destructo ita Israelis regno, & exilio Genti indicto, 2 *Reg.* XVII, 6, & *cap. seq. v. 11*, id quod fuit perpetuum, inducendis mox in Samariam habitatoribus novis, Chuthaëis aliisque, 2 *Reg.* XVII, 24, quum jam ulterius irent Assyrii, Judæis contra vim & minas Senacheribi profuere preces Hiskiaë, 2 *Reg.* XVIII, XIX, *Eesai.* XXXVI, XXXVII, quem & pietas singularis ingruenti jam fato ad tempus subduxit, favorem Numinis testante prodigio, dum decem gradibus recedit umbra in Achazi מַעֲלֹת, 2 *Reg.* XX, 11. *Eesai.* XXXVIII, 8; id quod dubium est an intelligi debeat de *Gnomone*, Solstitii indice, an vero de *Horologio*, quod jam partes diei monstraverit, Græcis quidem aliisque diu adhuc rei pulcherrimæ usum ignoraturis, ut multis contendit *Salmasius Ex-*

*ercitat. Plinian. ad Cap. Solini 37<sup>o</sup> pag. 445 & seqq.*

Quum regnasset Hiskia annis 29, juxta 2 *Reg.* XVIII, 2. 2 *Chron.* XXIX, 1, anno adeo Templi 295, successit illi Filius MANASSES, vir indolis plane diversæ, 2 *Reg.* XXI. 2 *Chron.* XXXIII, sed quam clausus Babylonico carcere emendare didicit, 2 *Chron.* XXXIII, 12, 13.

Solet in illud tempus, quo abductus erat Rex Manasses, conferri Historia Judithæ, quæ Holophernem Judæis sed in vitis præfuturum prudenter illuserit & occiderit. Id probantibus *Nabuchodonosor*, qui memoratur *Judith.* I, 1, ille debeat esse Rex Assyriorum, qui cæteroquin Assarhaddon vocatur, *Arphaxadus* vero idem cum Dejoce primo Medorum Rege. Id ita evincat collatio temporum, quæ ex deinde dicendis institui poterit. Velle id firmare nihil attineat. Quidam totum Librum *Judithæ* ut temere confictum elevant.

Quum Manasses regnasset annis 55, juxta 2 *Reg.* XXI, 1. 2 *Chron.* XXXIII, 1, anno adeo Templi 349 successit ei Filius AMON, qui priores Patris mores imitatus, a suis occisus est anno

anno regni 2, Templi 350. 2 *Reg.* XXI, 19, *seqq.* 2 *Chron.* XXXIII, 21, *seqq.*

Filius Amonis JOSIAS, toto regni tempore laudatissimus, 2 *Reg.* XXII, XXIII. 2 *Chron.* XXXIV, XXXV, quum Regi Ægypti Necho, adversus Assyrios tendenti, temere se objecisset, in prælio occisus est, 2 *Reg.* XXXIII, 29, *seqq.* 2 *Chron.* XXXV, 21, *seqq.* (postquam regnaverat annos 31, 2 *Reg.* XXII, 1. 2 *Chron.* XXXIV, 1) anno adeo Templi 380.

Eodem anno e Filiis JOACHAZUM substituebat Populus, 2 *Reg.* XXIII, 30. 2 *Chron.* XXXVI, 1, removebat & vinculis onerabat Necho, regnare jubens JEHOJAKIMUM. *utroque loco, vers. seqq.*

Tempora JEHOJAKIMI hujus, Filii JEHOJACHINI, qui & *Jechonias* dicitur, itemque Fratris ZEDEKIÆ, qui Regum fuit ultimus, ita in *S. Literis* descripta sunt, ut & notentur anni Nabuchodonosori. Horum cum Ærâ Templi connexio quomodo certum sit fundamentum Chronologiæ Hebraicæ, plenius intelligetur deinde ex ordinatione annorum Regis istius secundum Canonem Ptolemæi, de quo in Articulo de Babylonis.

nexio ista jam hic exhibenda.

Cœperat regnare Jehojakimus, ut dictum est, anno Templi 380.

Annus ejus 4, Templi 383, fuit 1 Nabuchodonosori. *Jerem.* XXV, 1. Eo anno Pharao Necho fuit victus a Nabuchodonosoro in Carchemisho ad Euphratem. *Id.* XLVI, 2.

Ab eo tempore Victori obnoxius Jehojakimus, quum rebellaret anno regni sui 8, Templi 387, Nabuchodonosori 5, hic contra eum ascendit, & eum vincivit catenis, sed datâ obsequii fide restituit, ita ut fieret ipsi Jehojakimus servus per annos 3, 2 *Reg.* XXIV, 1, a quo renovati regni exordio annum 3 Jehojakimi numerat *Daniel.* I, 1.

Cæterum ille annus 3 a primo regni initio erat ei 11 & ultimus juxta 2 *Reg.* XXIII, 36, 2 *Chron.* XXXVI, 5, quumque rebellans eo anno periisset, regnavit pro eo Jehojachinus mensibus tribus, 2 *Reg.* XXIV, 8, & diebus decem 2 *Chron.* XXXVI, 9, abducendus inde Babylonem cum Nobilissimo quoque, 2 *Reg.* XXIV, 11, *seqq.* 2 *Chron.* XXXVI, 10, ita ut eodem anno, Nabuchodonosori 8, 2 *Reg.* XXIV, 12, expilato regno præficeretur Zedekias.

D

dekias. *ibid.* v. 17.

Fuit annus iste Templi 390, notabiliter celebratus ab *Ezechiele*, *cap.* IV, v. 5, non sine causâ, quum habuerit tres Hierosolymorum Reges, Jehojakimum misere pereuntem, Jehojachinum in captivitatem abductum, & Zedekiam in expilato regno relictum; annus etiam, a quo *Ezechiel* annos suæ deportationis deducit. *cap.* XL, 1.

Quum ob defectionem, 2 *Reg.* XXIV, 20, 2 *Chron.* XXXVI, 13, anno Zedekix 9, Templi 399, urbs Hierosolyma obsideri cœpisset, 2 *Reg.* XXV 1, *Jerem.* LII, 4, anno jam sequenti, Zedekix 10, Nabuchodonosori 18, Templi 400, fervebat obsidio. *Jerem.* XXXII, 1.

Et hæcenus steterat Templum. Annus sequens, Zedekix 11, Nabuchodonosori 19, 2 *Reg.* XXV, 2, 3. *seqq.* *Jerem.* LII, 5, in quem incidit Templi simul & Urbis everfio, cum omnibus calamitatibus, quæ *dictis capp.* & 2 *Chron. ult.* memorantur, primus est *Captivitatis Babylonice*, secundum prædictionem *Jeremie*, XXV, 12, & XXIX, 10, per annos tolerandæ 70; quos cur alio ab anno, quam ultimo isto Zedekix, & Nabuchodonosori

19, qui fit P. J. 4107, a. Chr. 607, deducere non liceat, ex Serie Regum Babylonicorum suo loco intelligendum.

Hic modo illud adhuc faciendum, quo facilius evadat ratio, ipsâ de summâ temporis, quod ab Templi initio usque ad excidium ejus fluxit, certissime statuendi.

Unice eo pertinet, annorum istam descriptionem, quæ per partes in digestionis tenore exhibita, junctim nunc exhibere in subjecto Laterculo; id quod ecce tale est.

	Reges	Reges
Temp.	Judæ.	Israclis.
1	Salomo 36.	
37	Rehabeam 17.	Jeroboam 22.
54	Abia 3.	XVIII.
56	3. I. Afa 41.	XX.
57	II.	21. I. Nadab 2.
58	III.	2. I. Baafa 24.
81	XXVI.	24. I. Ela 2.
82	XXVII.	2. I. Omri 12.
93	XXXVIII.	12. I. Achab 22.
96	41. I. Josaphat 25.	IV.
112	XVII.	20. I. Achazia 2.
113	XVIII.	21. 2. I. Jehoram 12.
117	22. I. Jehoram 8.	V.

- 1248 I. Achazia 1. XII.  
 125 Athalia 7. Jehu 28.  
 1317 I. Joas 40. VII.  
 153 XXXIII. Jehoachaz 17.  
 167 XXXVII. 15. I. Jehoas 16.  
 168 38. I. Amasia 29. II.  
 182 XV. 16. I. Jerobom II 41.  
 193 26. I. Azarias 52. XII.  
 208 XVI. XXVII.  
 222 XXX. XLI. Interregnum 7.  
 230 XXXVIII. Zacharias, & Shallumus.  
 231 XXXIX. Menahem 10.  
 242 L. Pekahia 2.  
 244 LII. Peka 20.  
 245 Jotham 20. II.  
 260 17. I. Achaz 16. XVII.  
 264 20. V. Hofea 9.  
 266 VII. Hiskia 29. III.  
 270 10. IV. VII. Samaria obseffa.  
 272 12. VI. IX. Samaria capta, & Regno finis.  
 295 Manaffes 55.  
 349 Amon 2.  
 350 Jofias 31.  
 380 Jehojakim 11.  
 390 Jehojachin, & mox Zedekias 11.  
 401 Templi excidium, & Captivitatis initium.

## De Ægyptiis.

**D**icendis hinc aliarum Gentium fati, primum occupent locum Ægyptii. Facto inde per Orientem flexu, ex Asiâ in Europam, inde tandem in Africam venietur.

In ordinandis Ægypti Dynastiis *Josephus Scaliger, Can. Isag. l. 2,* alteram postulaverat Periodum Julianam.

*Dionysius Petavius, de Doctr. Temp. lib. 9, & 10,* Dynastias istas ut fabulosas & e mentitas rejecerat, scribens etiam *Rat. P. 1, lib. 2, cap. 10, Ægyptiorum Origines & Dynastia, quas ex Africano & Eusebio Georgius Monachus collegit, multis fabulis aspersa sunt.*

*Joannes Marshamus,* quum crederet, Dynastias istas neque in immensum extendi debere, neque omnino rejici, a falsi crimine vindicare instituit prisca, ut dicit, Templorum Scrinia; respiciens nimirum memoratos *Syncello Autores, Eratosthenem, Manethonem, & Vetus Chronicon,* siquidem tam Manetho quam *Chronicon* origines Ægypti ex *Sacris Mercurii Libris* traduxisse dicuntur.

Factum hoc Memorabili in Opere (*Canone Chronico*) præter

Res Ægyptiacas, aliarum quoque Gentium antiquitates usque ad Xerxis ævum ita complexo, ut plane Liber ille dici debeat vetustissimi temporis unica & Norma & Lux, quicquid vulgo arguatur illa similitudo cum sententiâ *Joannis Spencers*, de arceffendis Hebræorum Sacris ex Ægypto, aut 70 hebdomadarum *Danielis*, contra communem consensum, interpretatio, una cum paucis id genus aliis.

In digerendis Ægypti Dynastiis ea Viro ratio, ut, priores illas *Deorum* & *Semideorum* de Gentis Astronomiâ & Theologiâ interpretatus, in reliquis rem expediat tali coordinatione, quâ jam inde a temporibus Diluvio proximis quatuor Regna simul extitisse intelligantur, *Thebanum*, *Thiniticum*, *Memphiticum*, & *Inferioris Ægypti*; notabiliter isti coordinationi favente illâ e *Sacris* notâ Ægypti divisione in *Mizrajim*, *Noph* sive *Moph*, & *Pathros*. conf. *Esai*. XI, 11, & *Jerem*. XLIV, 1.

Regum *Thinitarum* series, quâ occasione aut causâ incertum, circa annum P. J. 2962, post Diluv. 593, defecerit, nec ulterius fere duraverint Pyramidum Conditores *Memphite*,

crescente ita magnis accessionibus Thebanorum potentiâ.

Inferioris Ægypti Regnum quum invaderet ingens multitudo Advenarum, qui genere haud dubie Arabes, Pastores per contumeliam, Tanitæ a regni fede dicti sunt, pluribus rem commemorante *Manethone apud Josephum contr. Apion. lib. 1*, tum annus fuerit P. J. 3070, post Diluv. 701, post Israelitarum in Ægyptum adventum 58.

Eadem ita irruptio & Israelitarum in Ægypto calamitatis, & multorum ex ipsis Ægyptiis (Cecropis, Cadmi, Danaï) exilii causa fuerit.

Longe adeo lateque, secundum *Manethonem*, vim armorum intentaverint Invasores isti, ut ne Memphis quidem cladis esset immunis, & in universum, eadem teste, annis 511 in Ægypto regnaverint.

Tum usu tandem bellicosiores facti, qui premebantur, prospere rem gerere cœperint, ejectisque adeo Pastoribus sub annum P. J. 3581, post Diluv. 1212, a. C. 1133, ad Thebanos Reges pervenerit totius Ægypti dominatio, quam interjecto tempore longissime protulerit SESOSTRIS, multarum Gentium in

Africâ,

Africâ, Asiâ, quarundam etiam in Europâ, testantibus *Herodoro lib. 2, Diodoro Siculo lib. 1, aliisque*, felix simul fortisque domitor.

Sesoftrim hunc, quem Græci, quasi Bello Trojano & Minoe vetustiore, ad Danai tempora perperam retulerint, non nisi in Rehabeami temporibus collocandi, & eundem faciendi cum Sefaco in *Sacris* memorato, inde sit causa, quod jam *Josephus, Antiq. lib. 8, cap. 4*, hunc in modum scripsit: Ο Θεός Δηπέμπε τον τ̄ Αιγυπτίαν βασιλέα Σούσακον, π̄ εὖ δὲ ὠπλανθηῖς Ἡρόδοτος τὰς π̄ ἀξείας αὐτοῦ Σεσώστρι προσώπει: *Deus immittit Ægyptiorum Regem Susacum, circa quem deceptus Herodotus actiones ejus Sesoftri attribuit: Quodque Diodorus Siculus, lib. 1, Ægyptiorum ex Sacerdotum testimonio ita tradidit: ἀρχαῖοι λέγουσι τὸν Μηνᾶ πρὸς Διοτάνουσι δύο π̄ εὖς τοῖς κεντήκοντα πρὸς ἅπαντας ἔτη πλείω τ̄ χιλίων ἢ πετραχοσίων: regnasse dicuntur Mena Posteri ad 52 omnes annis amplius 1400.*

E Successoribus, sub quibus aliquandiu duraverit magnificus victoriæ fructus (ex laudato jam *Manethone apud Josephum lib. 1 contr. Apion*), proximus Sesoftri fuerit RHAMSES, cujus nomen luculentissimo monumento in-

scriptum Thebis olim vidit Germanicus, *C. Tacito* id ita memorante, ut amplissimum inde & Regis ipsius & Majestatis Ægyptiacæ sit testimonium, reprehendendo quidem *J. Lipsio*, cujus, ad locum Taciti, de quo agitur, hæc annotatio: *de tantâ potentiâ Ægyptiorum nihil se legisse, nec facile credere.*

Locus Taciti est *Annal. lib. 2, cap. 60*, de Germanico in Ægyptum profecto, cognoscenciæ antiquitatis causâ: *Mox visit veterum Thebarum magna vestigia. & manebant structis molibus literæ Ægyptiæ, priorem opulentiam complexæ: jussusque e Senioribus Sacerdotum patrium sermonem interpretari referebat: habitasse quondam septingenta millia atate militari; atque eo cum exercitu Regem RHAMSEN Lybiâ, Æthiopiâ, Medisque, & Persis, & Bactriano, ac Scythâ potitum; quasque terras Syri, Armeniique, & contigui Cappadoces colunt, inde Bithynum, hinc Lycium ad mare, imperio tenuisse. Legebantur & indidita Gentibus tributa, pondus argenti & auri, numerus armorum equorumque, & dona Templis ebur atque odores, quasque copias frumenti & omnium utensilium quaque Natio penderet; haud minus magnifica,*

quam nunc vi Parthorum, aut potentia Romanâ jubentur.

Sub exitum Seculi ante Christum IX splendidissimum Imperium non modo intra Ægypti limites rursus sit conclusum, sed & in minores dissipatum partes, quas adeo facilius oppresserit SABACON Æthiops, qui SUA vel Sous ille, memoratus 2 Reg. XVII, 4.

Sabaconis regressum (quum annis ille in Ægypto regnasset 50, Herod. lib. 2, cap. 137) secuta est δωδεκαετηρία, quæ quum durasset annis 15, ut scribit Diodorus lib. 1, omnia iterum devoluta sunt ad PSAMMITICHUM illum, cujus a temporibus Res Ægypti ἀρχαίως, exacte, (ut asseverat Herodorus lib. 2, cap. 154) Græcis jam innotuerunt, ita ut & inde mentionem earum & digestionem passim Chronologi instituant. vid. Petav. Rat. P. 1. lib. 2, cap. 10, & P. 2. lib. 3, cap. 7.

Digestionis alia secundum alios sit ratio. Ex mente Herodoti, qui ut antiquior solet præferri, Psammitichi initium incidat in annum P. J. 4045, qui Templi est 339, ante Christum 669. Hunc in modum. Tribuit Herodorus annos

Psammiticho	54.
Necho	16.
Psammi	6.
Aprie	25.
Amasi	44.
qui omnes	145.

Hi si ponantur ante annum Cambysis 6, quo ille, victo Psammitico, Ægyptum occupavit, quem esse constat annum P. J. 4190, ante Christum 524, sit initium Psammitichi, ut dictum, annus ante Christum 669.

Quo minus huic Chronologiæ acquiescatur, utque non modo sive cum Diodoro Amasi largiamur annos 55, sive cum Eusebio Psammi 12, Aprie 30, sive cum Marshamo annos undecim ἀβασιλεύτους ponamus post Psammin, sed plane tredecim annis totum spatium producamus, certissimus Sacra Historia tenor exigit.

Juxta calculum ex mente Herodoti dicendum esset, coepisse Necho anno P. J. 4099, Templi 393. Atqui Necho occidit Josiam anno Templi 380. vid. pag. 25. in Josiâ.

Isto anno Templi 380, P. J. 4086, a. Chr. 628, si regnare coepit Necho, necessarium est, ut dicamus, Patrem ejus Psammitichum sui regni initium habuisse



buisse anno Templi 326, P. J. 4032, a. Chr. 682.

Dicit *Herodorus lib. 2. cap. 157*, de annis 54, quibus regnavit Psammitichus, obsidioni Azoti impensos fuisse 29. *αὐτὴ δὲ ἡ Ἀζωτος ἀπιστίων πλείων ἔστι πλείων χρόνον πολιορκουμένη ἀνταρξέ, ἢ ἡμῶν*: illa Azotus omnium urbium, quas scimus, diutissime obsidionem toleravit. Hoc scilicet initium proferendi rursus imperii. Urbs illa imminebat Ægypto. Azarias eam eripuerat Philistæis. 2 *Chron. XXVI, 6*. Occupaverat eam deinde Thartan, Dux Sargonis (Assarhaddonis) Regis Assyriorum. *Esai. XX, 1*.

NECHO anno, ut dictum, Templi 380, P. J. 4086, ante Chr. 628, Patri succedens, quam animose ejus proposito institerit, non modo ex *Herodoro*, sed & ex *Sacris Literis* notum est. De perfectione ejus versus Euphratem & Carchemishum, occisoque in itinere Josiâ ad Megidduntum, *vid. 2 Reg. XXIII, 29. 2 Chron. XXXV, 20*. De Joachazo evocato Riblam in terrâ Hamath (Antiochiam) & mox vinculis onerato, atque in locum ejus regnare jussu Jehojakimo, 2 *Reg. XXIII, 33, 34. 2 Chron. XXXVI, 1, 2, seqq.*

Potens hactenus & felix erat Necho. Mox invalere Babylonii. Anno 4 Jehojakimi Regis Juda, Templi 383, copiarum Pharaonis Nechûs, quæ fuerunt in Carchemisho ad Euphratem, percussæ sunt a Nabuchodonosoro Rege Babylonis, *Jerem. XLVI, 2*: & ita non amplius egressus est e terrâ suâ Rex Ægypti, quia Rex Babylonis ceperat, quicquid fuit Regis Ægypti, a Fluvio Euphratis usque ad Flumen Ægypti. 2 *Reg. XXIV, 7*.

Dum regnat PsAMMIS, successor Patris anno P. J. 4102, ante Chr. 612, contigisse, autoribus Babyloniiis, illam Ægypti vastationem, de quâ *Ezech. XXIX, XXX, XXXI*, satis est probabile.

*καθ' ἑσπεροβολὴν* accipienda, quæ prædicuntur de tantâ calamitate, pronuntiat *Petavius, Rat. P. 2. lib. 3. cap. 7*.

*Scaligerò in Can. Isag.* certissimum visum, quæ ab Ezechiele dicuntur de Ægypti desolatione, ita ut in desertum redigenda sit, hæc Dei misericordiâ remissa fuisse, & non contigisse, quemadmodum neque Niniven deleverit, ut per Jonam & Nahum interminatus erat.

Re-

Rectius idem alibi: quod perspicue in Sacris indicatum, id ignorasse Herodotum, quia Sacerdotes illi Ægyptii, qui ei sciscitanti de Rebus Ægyptiacis respondebant, ea tantum, quæ ad laudem Gentis faciebant, docuerint, cætera, quæ ad illius ignaviam, servitutem, & tributa Chaldæis data, pertinebant, tacuerint.

Ita tenentibus magis perspicuum, cur post Psammin numerari possint anni tredecim *αβασιλευπι*, quorum si primus dicatur annus P. J. 4108, a. Chr. 606, postremi eorum septem pertineant ad Seculum ante Chr. VI, de quo in *Cap. seq.*

### De Tyriis.

**T**Yriorum ut opes per navigationem insignes fuere, ita & Reges aliquot, quos præterire non licet.

ABIBALI, quem qui præcessere ignorantur, Filius fuit HIROMUS, Davidis & Salomonis amicitia notissimus.

Octavus ab HIROMO fuit ITHOBALUS, Achabi Socer. *1. Reg. XVI, 31.*

Undecimus vero PYGMALION, Frater DIDONIS, cujus ma-

xime ob profectionem, quæ contigit anno Pygmalionis septimo, teste *Menandro*, apud *Joseph. contr. Apion. l. 1, ex ipsis Tyriorum Annalibus*, tota quoque inde series exhibenda est. Tribuuntur nimirum regnandi anni

Abibalo	0.
Hiromo	34.
Baleazaro	7.
Abdastarto	9.
Nutricis Filio	12.
Astarto	12.
Aferymo	9.
Pheleti	M. 8.
Ithobalo	32.
Badezoro	6.
Matgeno	9.
Pygmalioni	47.

Ut secundum Laterculi istius numeros pronuntietur, non modo, in quantum coincidunt tempora Ithobali & Achabi, sed etiam, quis sit annus ille, quo Dido in Africam profecta, notandum est, conditum fuisse a Salomone Templum anno Hiromi undecimo, ita *Joseph. Antiq. lib. 8. cap. 2*, vel duodecimo, ut *idem contr. Apion. lib. 1*, id quod temere convellitur a *Petavio Rat. P. 2, lib. 2, cap. 13*, & *lib. 9, de Doctr. Temp. cap. 62*, ob tenorem scilicet narrationis *2 Sam. V*, sed male acceptum.

Est

Est quoque apud *Iosephum, Antiq. lib. 9, cap. ult. iisdem ex Antiquibus*, memoria ELULÆI, sub quo navali contra Salmanassarum prælio Ἰππικῆν πέντων ἐν Τύρῳ πηλὴ, *aucta est omnium Tyriorum gloria.*

In *lib. 1, contr. Apion.* extat & altera series partim Regum, partim Judicum (Δικαστῶν) quorum sub primo ITHOBALO excisa a Babyloniis Tyrus, post obsidionem annorum 13, ut *Idem Antiq. lib. 10, cap. 11.*

Ab IROMI, qui ultimus exhibetur, anno 14, quo scilicet Κύρου ὁ Πέρσης τὸ κράτος παρέλαβεν, *Cyrus Persa imperium adeptus est*, possit retro numerari, ad constituendum annum excidii, si satis explorata essent omnia. At proxime id exceperit cladem Hierosolymitanam, per spicuum est ex *Ezech. XXVI, 2, 3, seqq.*

Dicto capite *Ezech. & seq. XXVII*, describitur & violentia oppugnationis, & mox ipsum excidium.

Factum istâ clade, ut relietâ Continente in vicinam Insulam transferretur fortunarum Sedes. Inde *Palætyrus, & Tyrus Insularis*, oppugnante Alexandro, Peninsula evasura.

### De Regno Damasceno.

eorum, qui Damasci regnaverent, nota est aliqua successio ex *Sacris Literis.*

Celebrantur illic Hebræorum hostes, sociive, REZON, qui & HEZION, TABRIMMON, BENHADAD, HAZAEL, BENHADAD II, & REZIN.

Constitutum illud Regnum, tempore Davidis, per *Rezonem Filium Eliadahi, qui fugerat ab Hadadzeze Rege Zoba Domino suo, 1 Reg. XI, 23, seqq.* victo a Davide, 2 *Sam. VIII, & 1 Chron. XVIII.*

Rezinem occidit, & Regno finem fecit, idem ille, qui Galilæam invasit, Teglyphulassar. 2 *Reg. XVI, 9.*

### De Assyriis.

Assyriorum dominationi a quibusdam ea tribuitur vetustas, quæ ad NIMRODI ætatem, haud magno sane intervallo a Diluvio disjunctam, ad movenda sit.

Non defunt, quibus ipse Nimrodus sit BELUS ille; qui *Syn-cello* inter Gentis hujus Reges ordine primus.

NINO inde & SEMIRAMIDI res adscribuntur magnificæ.

E

Mox

Mox autem triginta aut plures ponuntur Reges, nullo facinore memorabiles.

SARDANAPALUM, qui agmen claudit, illato bello vicisse dicitur ARBACES, imperium, quod 1300 aut amplius annis tenuerint Assyrii, ita transferens ad Medos.

Id his dum duraverit annos ultra 300, interim Assyrii, sprete victoribus, rem percussam aliquando restituerint, idque fuerit Regnum, ut vocari consuevit, *Redivivum*, *Sacrâ* nimirum *Scripturâ* Assyriorum potentiam celebrante inde a temporibus *Menahemi*, qui regnare cepit, ut ante dictum, anno Templi 231.

Veterem hanc & constanter traditam vel receptam doctrinam primus redarguit *Herm. Conringius*, peculiari Libro de *Asia & Egypti Antiquissimis Dynastiis*, quem videre licet in *Synagmate Variarum Dissertationum Rariorum*, quæ annis abhinc non multis prodire ex *Musæo* τῷ πένυ, quo & nos Præceptore profecimus, *Joannis Georgii Grævii*,

Multas mox rationes contra eandem protulit *Ufferius Armachanus*, in *Annalibus Veteris Testamenti*; quod & ipsum fecit *Mars-*

*hamus*, in *Canone Chronico*.

Patronum e diverso se ei præstitit *Ulricus Huberus*, peculiari primo *Dissertatione*, quæ mox inserta *Institutionibus Historiæ Civilis*.

Argumentorum vim spectantibus dubium quidem aliquatenus esse possit, an plane hac in parte repudiandus sit *Ctesias*, quem secuti sunt reliqui, Vir quidem jam *Aristoteli*, de *Hist. Animal. lib. 8, cap. 28*, οὐκ ἀξιόπιστος, non fide dignus, & *Plustarcho* in *Artax.* acriter reptehenfus, sed potissimum ob speciem narrationum τὸ πιθανὸν καὶ ἀπεσδόμητον ἔχουσαν πλὴν καὶ τὸ ἐγγὺς τοῦ μυθώδους, quæ habeat quod affectus moveat, quodque sit inexpectatum & proxime ad fabulam accedat, perinde & *Phorio*, *Tim. 72*, mentiendi libidine infamis, sed præcipue ἐν τοῖς ἐπιγεγοµένοις ἀντιῶ Ἰνδῶν, in iis quibus titulus *Indica*: dum scilicet opponitur ei *Herodotus*, aliis quidem fide dignus ideo, quod distinxerit, quid ex famâ vel traditione acceperit, quidque dubio carere existimaverit, verum qui de Assyriis non nisi obiter sit locutus, cuique, præter paucos isto respectu non convenienter satis allegandos, accesserit quidem *Arrianus*, in *Prefat. Oper.* sed ut causæ

causæ suæ serviret; notandâ jam ante alia asseveratione Ctesæ de inspectis βασιλικαῖς φερεῖς, *Regiis Membranis.*

At vero non simile, temporibus Diluvio proximis potuisse jam eas esse regnantium opes, quales Nino tribuuntur & Semiramidi; ingentes ductos exercitus, subactam totam Asiam cum Æthiopiâ simul & Indiâ memorantibus *Cresæ* sequacibus *Diodoro, Justino, Eusebio, aliisque.*

Suspectum & hoc, quod dicitur *Diodoro* παῖς παρὰ πατρὸς διαδεχόμενος τὴν δόξαν, ita ut semper *Regni Paterni successor foret Filius*, quæ verba *Velleji Paterculii*. Tantâ in duratione nimis id insolens.

Non minus suspectum, quod tanta sit dissensio, tam de Imperii duratione, quam de Regum numero, *Eusebio* quidem recensente Reges 36, quorum omnes sint anni 1240, *Syncello* autem 41, per annos 1460.

Quin suspectum & illud, quod tot numero Regibus nullæ attribuantur res gestæ, adeo ut *Diodorum* piguerit & nomina singulorum & annos recensere, διὰ τὸ μηδὲν ἐπὶ αὐτῶν πεπραχθαι μνημῶν ἄξιον, quod nihil ab illis sit factum memoriâ dignum.

Inprimis prodigio simile dica-

tur, quod tam vasti Imperii nullum diu in *Divinis Scripturis* vestigium existat, quum sane ejus, si extitisset, pluribus in locis necessario debuisset mentio fieri.

Locus apud *Simplicium*, de transmissis a Callisthene annorum ante Alexandrum M. 1903 observationibus, eam profecto vim habet, ut intelligamus antiquitatem Urbis Babylonis, jam condi cœptæ a Nimrodo, cui utique ætate proximus Assur, Fundator Ninives, & nominis Genti Autor. At alterutri protinus subjungere Successores, quorum immensæ fuerint opes, rerum statui, qui tunc esse potuit, minime convenit.

Rectius itaque, ex mente *Herodori lib. 1. cap 95*, ante Medos usque ad Cyrum annis 150 imperio potituros, floruisse dicuntur Assyrii per annos 520.

Sic ex mente *ipsius, lib. 1. cap. 184*, aliorumque pariter, ad tempora fere Iliaca pertineant Ninus & Semiramis, minime tamen cogitandâ insigni aliquâ prævalidarum opum magnitudine.

Illas scilicet iis demum conveniat temporibus, quibus, clangescente jam Ægyptiorum potentiâ, bonâ fide invaluerit illi in *Sacris Scripturis* memorati,

PHUL, TEGLATHPHULASSAR, SALMANASSAR, SENACHERIB, & ASSARHADDON.

Possit cum *Ufferio* celebratus ille ab Exoticis *Sardanapalus* dici Filius *Phulis*, ut ita retineantur, quæ *Diodoro* memorata ex *Cresia*, de defectione *Arbaxis*, simul & *Belesi*, qui sit *Babyloniorum Rex Nabonassar*.

Non nisi initium, quod *Medis* juxta *Herodotum* conveniat, intuentibus plane licet cum *Schorano P. 2. Biblioth. Hist. Sacr. Vet. Testam. Sardanapalum* facere eundem cum *Affarhaddone*, cui post cædem Patris *Senacheribi*, 2 *Reg. XIX, 37*, turbatior fuerit pueritia, ita ut ejus contemptu defecerint *Medi*, post brevem *avrovuicav* Regem sibi sumpturi *Dejocem*.

Patitur id & nominum & temporum ratio, convenienter satis *Assyriorum* Regum ultimo dicendo *Affarhaddone*, qui scilicet corroboratâ ætate regno quoque potitus sit *Babylonico*, cujus mox nomen prævaluit, ita ut hic ipse non alius sit quam *Affaradinus*, inter *Babylonios* jam recensendus.

Hoc ita se habere, præter evidentissimam istam nominum similitudinem, & consentientem

*Historia Sacra* tenorem, palam arguit liquidissimus temporum concentus, qui ex successione *Babylonicis* jam protinus intelletur.

### De Babylonis.

**O**Rigines *Babylonicas* repetendas esse jam inde a *NIMRODO* (qui *Græcis* *BELUS*, consueto vocabulo, quo *Orientalibus* appellati *Imperiorum* vel *Gentium* *Conditores*) satis superque evicit *Vir* omni *Literarum* in genere versatissimus *Jacobus Perizonius*, vindicatâ eruditissimis *Dissertationibus* veritate observationum, quas jussu *Aristotelis* transmisit *Callisthenem*, proditum est; contra *Marshamum* scilicet, qui accipi eas voluerat de postulata, ad ordinandas observationes ante *Nabonassarum*, *Periodo* *Sothiacâ* annorum 1460, fidem ita facturus suæ assertioni de recentissimâ *Babylonis* origine.

In *Historiâ* *Abrahami* inter plures *Mosi* memoratur *AMRAPHEL Rex Sinear* i. e. *Babyloniae*. *Genes. XIV, 1.*

Quam interim vetusta non fuerit *Imperii* aut gloria aut amplitudo, notabiliter docet locus

*Esaï.*

*Esaï. XXIII, 13*, si recte explicetur.

At notæ Regum successiones inde a NABONASSARO, beneficio Canonis, qui Æram exhibet, ordinandis temporibus insigniter utilem, adeo ut illius ope connecti possit Chronologia Sacra cum Profanâ.

Caput Æræ est annus ante Christum 747, P. J. 3967, Conditum a Salomone Templi 261.

*Ptolemaicus* vocari consuevit iste Canon, quia ex MS. *Claudii Ptolemaei de Hypothesibus Πλανομέτρων* est editus.

Pars ejus usque ad Alexandrum, cujus præcipuus est usus, ita se habet.

Ptolemæi Canon Regum.		
Assyriorum & Medorum.	Anni singulorum.	Anni collecti.
Nabonassari	14	14.
Nadii	2	16.
Choziri & Pori	5	21.
Jugæi	5	26.
Mardokempadi	12	38.
Arciani	5	43.
Interregni primi	2	45.
Belibi	3	48.
Apronadii	6	54.
Rigebeli	1	55.
Meseffimordaci	4	59.
Interregni secundi	8	67.

Assaradini	13	80.
Saosduchini	20	100.
Chyniladani	22	122.
Nabopollassarî	21	143.
Nabocollassarî	43	186.
Ilvarodami	2	188.
Nericassolassarî	4	192.
Nabonadii	17	209.
Perfarum.		

Cyri	9	218.
Cambysis	8	226.
Darii primi	36	262.
Xerxis	21	283.
Artaxerxis primi	41	324.
Darii secundi	19	343.
Artaxerxis secundi	46	389.
Ochi	21	410.
Arogi	2	412.
Darii tertii	4	416.

Græcorum.		
Alexandri Macedonis	8	424.
&c. &c.		

Mors Alexandri incidit in annum ante Christum 323.

Plerique ex Regibus, qui pertinent ad intervallum, quod abfolvi debet primâ hac *Sectione*, finiendâ scilicet in anno quarto *Nabocollassarî*, quales fuerint quæve res gesserint, ignotum est.

A NABONASSARO ideo initium digestionis ductum, quia ipse rerum priorum ordinem corruerit, ex *Beroso* & *Alexandro Polyhistoro* autor est *Syncellus*.

MARDOKEMPADUM esse illum MERODACHUM, qui Legatos gratulatum misit ad *Hiskiam*, 2 Reg. XX, 12, & ad quærendum de prodigio, quod acciderat, 2 Chron. XXXII, 31, digestionis ordo demonstrat. Cœpit regnare Mardokempadus, juxta Canonem, anno Nabon. 27, qui annus Templi 287. Sic illum intelligimus per annos 8 contemporaneum fuisse Hiskia, regnanti, ut ante dictum, ab anno Templi 267, usque ad annum 295, qui Nabon 35.

Tempore Hiskia regnare cœpit apud Assyrios *Affarhaddon* 2 Reg. XIX, 37, puer haud dubie; nam Patrem occiderant Fratres *Majores*, ideo pulsi τῶν πλιτῶν, *Joseph. Antiq. lib. 10, cap. 2*. Ille ergo adultus recte dicitur post interregnum, quod Babylonis duravit annis 8, præfuisse etiam iisdem cœpisse ab anno Nabon. juxta Canonem 68.

Sic intelligimus, cur dicatur 2 Chron. XXXIII, 11, Babylonem abductum esse Manassien.

Præcipua observatio est de annis NABOPOLLASSARI, qui Hebræis est NABUCHODONOSOR, cognomine ipsi apud eodem Filio, quem Canon distin-

cte NABOCOLLASSARUM appellat.

Utriusque horum insignis est claritudo tam ex *Sacris Literis*, quam ex *Josepho* discenda.

Illorum sub regno Babylonicae dominationis majestas immensum aucta est. Illis autoribus contigere, quæ Judæi, quæ Tyrii, quæ Ægyptii, continuo annorum aliquot spatio, perpeffi.

Clades Hierosolymorum, in quâ ordinandi temporis cardo, Patris cum annis est connectenda, notabiliter, ut jam in *Rebus Hebræis* auditum, præcunte *Scripturâ Sacrâ*.

*Jerem. XXV, 1*, conjungitur annus quartus *Jehojakimi* cum anno primo *Nabuchodonosori*. Ille annus Templi 383, Nabonass. 123.

2 Reg. XXIV, 12, cum anno, quo deportatus *Jechonias*, & ex-pilato regno præfectus *Zedekias*, conjungitur annus octavus *Nabuchodonosori*. Hic Templi 390, Nabon. 130.

*Jerem. XXXII, 1*, cum anno decimo *Zedekia*, quo fervebat Urbis obsidio, conjungitur annus *Nabuchodonosori* octavus decimus. Is Templi ultimus fuit 400, Nabon. 140.

Se-



Sequens annus, quum regnasset *Zedekias* annis undecim, 2 *Reg.* XXIV, 18, *Nabuchodonosori* fuit nonus decimus, *cap. seq. v. 8.*

Hic ille est, qui debet dici primus *Captivitatis Babylonicae*, ita ut juxta 2 *Chron.* XXXVI, 22, *Ezr.* I, 1, *Jerem.* XXV, 12, & XXIX, 10, quum annis hæc durasset 70, finem ei attulerit annus primus *Cyri*, qui est in *Æra Nabonassari* 210, reliquis usque ad Christum 537, adeoque non primus *Cyri* simpliciter regnantis, sed *Babylonem* jam tenentis.

Manifesta est veritas, si ponantur, juxta Canonem, anni

Nabopollassari	3.
Nabocollassari	43.
Ilvarodami	2.
Nericassolassari	4.
Nabonadii	17.
<i>Cyri</i>	1.

qui omnes 70.

Id quo magis perspicuum, eo minus valeant aliorum rationes, quibus cum annis *Jehojakimi* & *Zedekiae* conjunguntur anni *Nabuchodonosori Filii.*

In universum vetat hoc tenor narrationis *Berosiane*, apud *Joseph.* *Anr.* l. 10, & c. *Ap. l.* 1, utcumque nec ipse *Josephus* allegatione istâ recte sit usus.

Jam vero singulorum ordina-

tiones primo ita instituuntur, ut *Captivitatis* initium deducatur non ab *Urbis* excidio, sed vel a *deportatione Jechoniae*, vel ipso jam anno 4 *Jehojakimi*; deinde nec in reliquum satis probari possunt.

*Calvisii*, sive potius *Scaligeri*, & sequacium calculus ita deducit annos 70 a *deportatione Jechoniae*, ut tamen cum illâ non cohæreat annus *Nab. 151*, qui, sec. *Can. Nabuchodonosori F.* est 8, sed ut, per *anticipationem quadriennii*, annus ille dicatur *Nab. 147*, utque ita annus 70 fiat annus *Nab. 216*, quasi & *Judæis* potuerit esse annus *Cyri 1*, qui jam 7.

*Petavius*, qui ponit finem *Captivitatis* in anno *Cyri*, ut debet, vere 1, *Nab. 210*, initium ejus deducit ab anno *Jehojakimi 4*, *Nabuchodonosori F. 1*, ita ut ille sit, non, sec. *Can. 144*, sed, per *anticipationem*, quâ & ipsi opus, 141.

Ex mente aliorum ita quidem anni 70 inchoantur ab anno *Jehojakimi 4*, ut initium istud sine ullâ *anticipatione* incidat in annum *Nab. 144*, *Nabuchodonosori F. vere 1*. Sed neque id ipsum probabile, quum doceri possit, ita effici, ut jam nullâ

nullâ parte cohæreant Tempora Merodachi & Hiskia ægotantis. Et tamen sic quoque annum Nab. 210, Cyri illum vere 1, Captivitatis finis transfiliat.

Contra tot inconvenientias veriolem tenere sententiam, eo magis est necessarium, quo magis res illa pertinet ad Sacræ Chronologiæ & Profanæ istam connexionem, cui, ut certæ basi, omnis retro, ipsâ ab Temporum origine, computatio ininitur.

#### De Medis.

**I**dem Autores, quorum calculo Assyrii tam mature imperant, quomodo & erga Medos liberales sint, superius auditum.

Initium annorum 150, qui illis imputandi juxta *Herodotum* (ante Cyrum scilicet, cujus in temporibus fundamentum omnis retro numerationis) incidit in annum Nabonass. 39, ante Chr. 709.

Primum Regem DEJOCEM etiam Armeniâ & Cappadociâ potitum esse anno regni sui 22, inde colligitur, quod scribit *Herodotus lib. 1, cap. 130*, Medos, quum imperium amitterent,

Dominos fuisse τῆς ἀνω Ἰαυδοῦ περιπέδου Ἀσίης per annos 128. Cæterum annos Dejoci in universum tribuerat 53, *lib. 1, cap. 102*.

PHRAORTES adeo Filius ejus regnare cœperit anno Nabon. 92, ante Chr. 656. Ut Pater Regni fines protulerat versus Occasum, ita Filius eosdem protulit versus Orientem. Primum omnium Persas aggressum esse & Medis subjecisse, mox alias aliasque Gentes, scribit *Herodotus lib. 1, cap. 102*. Versus autem in Assyriam armis, cum magnâ exercitus parte interiit, quum regnasset annis 22. *ibid.*

Succedens anno Nabon. 114, ante Christ. 634, CYAXARES ultum ibat paternam cladem, & prælio superatis Assyriis, jam urbem Ninon obsidione premebat. *Herod. lib. 1, cap. 103*. Hoc ipsum dum facit, graves pati cœpit Scythas, qui Madye cum Rege, Mæotide a Lacu, Cimmerios persecuti, late Asiam incurfavere. *ibid.*

Quin metu illorum factum videtur, ut Persis, datâ istiusmodi occasione res novas forte molituris, Filium *Darium*, Medum ab origine dicendum, cum potestate tituloque regio præficeret,

ficeret, admodum probabili hac origine Regni Medo-Persici, de quo mox separatim.

Scythis post annos 28 rejectis, ita recuperatum esse imperium, autor est *Herodorus lib. 1, cap. 106*, ut & vires fuerint ad delendam Niniven. Hujus ad Urbis expugnandæ commilitium quum nonnulli etiam accesserint Nabuchodonosorum, quemadmodum & scriptum in *lib. Tob. cap. XIV. sive ult. v. ult.* de captâ Urbe per Nabuchodonosorum, & Ashuerum Cyaxarem certum est, dici debere, videri Urbem defecisse a Babyloniis, qui cæteroquin, postquam gemina Regna coaluissent, tam illic quam Babylone rerum sedem habuerant.

Memoratur etiam in rebus Cyaxaris bellum quinquennale, quod habuit cum Lydorum Rege Alyatte, sed cujus nonnisi initium accuratius calculo incidit in annum ante Chr. 602, juxta observationem eclipsæ solaris, quæ eo bello contigit, (*Petav. Rat. P. 2, lib. 3, cap. 4.*) prædicente rem istam Jonibus Thalete Milefio, *Herodot. lib. 1, cap. 74.* De eo ergo jam *cap. seq.* Cyaxares quidem, quum annis regnasse dicatur 40 (*ibid. cap.*

106) usque ad annum ante Chr. 595 ævum extendet.

*De Regno Medo-Persico.*

DE origine Regni Medo-Persici conjectura ingesta est in præcedenti commemoratione rerum Medicarum.

Regni ejus, inquit *Marshamus*, nemo Veterum Recentiorumve meminit, quum tamen apud Autores tam Sacros quam Profanos egregia sint ejusdem vestigia.

Nimirum *Æschylus in Pers.* duos ponit Persarum Reges ante *Cyrum*, Primum *Medum*, Secundum hujus *Filium*.

Ut *Marshamus* velit, omnino idem facere dicatur *Xenophon in Cyropad.* Secundum Regem appellans *Cyaxarem* Primum vero, ejus Patrem, *Astyagem*, de quo *Cedrenus*, Μῆδ' ἔδραψεν ἢ Ἀστυάγης ἐλέγαν, πατὴρ ἦν τοῦ Κύρου, *Medus Darius & Astyages dicebatur, avus autem erat Cyri, diversus scilicet ab Astyage Herodoti.*

Dum manifestum est, ita *Xenophonti* *Astyagem* & *Cyaxarem* memorari Reges Mediæ, ut diversa ab hac *Persidis* Regem faciat *Cambysem* *Cyri* Patrem; dubitandum sane videtur, an & illius

illius autoritas fidenter satis hac in parte adhiberi possit. Si fortasse dicere liceat, honoris causâ Cambysem Regem appellatum esse; manet tamen difficultas de *Mediâ* ita ipsi discretâ a *Perside*, ut prioris nomine plane illi intellectum fuisse illud Regnum Medo-Persicum, de quo hic agendum, nequaquam statui possit, præter alia loca manifestissime id vetante, in lib. 2, eo Cyri ad Cyaxarem sermone, in quo ita: ἐγὼ πολλὰίς δὴ σὺν πᾶσι τοῖς μετ' ἐμοῦ Πέρσας πηθήσκα ἀμφὶ τὰ ὅρια τῆς οἷς χώρης καὶ τῆς τῶν Ἀρμενίων, ego sæpe cum omnibus, qui mecum sunt, Persis venatus sum circa fines regionis tuæ & Armeniorum. Et talia sunt plura.

Nihilo fecius, qualicumque vel exemplo vel autoritate, si ita statuatur, **DARIUM MEDIUM**, qui vulgo solet haberi idem cum *Nabonadio* Babylonico, regnasse in *Perside*, eique successisse *Filium CYAXAREM* (*Ashueron Estheris*) erunt aliqua in *S. Literis* multo clariora.

*Darius Medus, Filius Ashueri, de semine Medorum, regnavit in Chaldaea, Dan. IX, 1.* quippe erat occupata Urbs Susorum, *Filia Babylonis, Jerem. LI, 33, Decus totius Terra TWU ibid. v. 41, mo-*

do subijciatur tertium punctum, ut fiat *kibbutz*, addanturque circumstantiæ, de quibus *superius*, in v. 31: *Cursor occurret cursori, nuntius occurret nuntio, ad narrandum Regi Babylonis, captam esse Urbem ejus ab extremitate* (Babylonici Imperii pars ultima versus *Persidem* *Sufiana*) & *transitum occupatum esse* (intelliguntur *Sufides* *Pylæ*, de quibus *Curr. lib. 5, cap. 3*) & *paludes combustas esse igne*; Arcem scilicet *Susorum*, quam circuit amnis *Eulæus*, qui *Sufianam* ab *Elymaide* determinat, *Plin. lib. 6, cap. 27.*

*Daniel* quum vixerit primo sub Imperio *Babylonico*, mox, *Sufis* expugnatis, sub *Medo-Persico*, inde causâ commemorandi ea *Regum* nomina, quæ in *Libri* ejus tam *priori* parte, quæ *Historica*, quam *posteriori*, quæ *Prophetica*.

Firmat simul & illustrat sententiam mentio de *Interdicto secundum jus Medo-Persicum, Dan. VI, 9, 16*, quale & illud *Esth. I, 19*, sub *Ashuero*.

*Jamhic Ashueros*, regnans *Sufis*, ab *India* usque ad *Casch*, *Esth. I, 1, 2.* (ab *Indo* *Fluvio* usque ad *Tigridis* ostia) cui *Proceres Regni Medi & Persæ, ibid. v. 3*, quis alius, quam *Cyaxares, Darii Medi Filius?*

Filius? Certe contigit Estheris Historia intra tempora Captivitatibus Babylonicæ, *Clem. Alex. Strom. 1.* Mardochæus, qui cum Jechoniâ (Jehojachino) transportatus de Jerusalem, *Esth. II, 6*, inter Seniores reduces memoratur *Nehem. VII, 7*.

Pertinet quidem regnum Cyaxaris Medo-Perse ad Seculum jam ante Chr. VI. Junctim & de ipso hic agi oportuit.

*De Regno Lydorum.*

**L**ydorum in Regno triplex Regum notatur series, secundum *Herodotum lib. 1, cap. 7*.

ATYADAS excepere HERACLIDÆ, hos illi, qui dicuntur MERMNADÆ, genus tamen & ipsi ab Hercule trahentes, ex Omphale scilicet, quum priores fuissent ex Jardani Ancillâ.

Atyadarum tempora ignorantur. Heraclidæ regnarunt annis 505, *Ἡρακλίδης ἔτεσσιν ἑξήκοντα πέντε*, *Herodot. l. c.*

Mermnadarum anni, sigillatim collecti, sunt omnes 170. Hi retro numerandi ab anno P. J. 4166, Nabon. 200, ante Chr. 548, quo scilicet anno Lydorum regnum destructum esse, deinde dicitur. Sic intelligimus,

cœpisse Mermnadas anno ante Christum 718, Nabon. 30, P. J. 3096.

De translato ad Heraclidas Regno simpliciter *Herodotus, ἱστορίαι αὐτοῦ ἐν ἑρακλίδῃ, ἔχουσιν ἐν ἑρακλίδῃ τὸ βασιλεῖον ἐκ ὀρακλοῦ.*

Finis eorum quomodo fuerit in CANDAULE, stolido Uxoris ostentatore, ideoque jussu ejus interfecto, præter *Herodotum lib. 1, cap. 8, 9, seqq.* docet etiam *Justinus lib. 1, cap. 7*.

GYGES, Candaulis percussor, Mermnadarum primus, Græcorum aggredi cœpit Colonias, Mileto & Smyrnæ arma inferens, Colophonem autem expugnans. *Herod. lib. 1, cap. 15.* Regnavit annis 38. *Ibid.*

Anno adeo ante Chr. 680 regnare cœpit ARDYs, qui, dum Patrem imitatur, Prienen cepit, mox autem graves passus est Cimmericos, qui, regnante eo, dum Scythas fugiunt, in Lydiam, Joniam, vicinasque Regiones penetravere. *Herod. l. c.*

De captâ Priene ita dissentit *Diogenes Laertius*, ut Bianti tribuat stratagemam, quod profuerit Prienenfibus obsessis ab *Alyarte* Ardyis Nepote, ita ut pacem ille cum ipsis faceret. *Diog. Laert. lib. 1, segm. 83.*

Memorable illud Biantis dictum ( *omnia mea mecum fero* ) quod auditum fit, cum captâ ex urbe nihil efferret, celebratur a *Cicerone Parad. 1. & Valerio Maximo lib. 7, cap. 2, exempl. inter Extern. 3.* Nomen ejus, qui urbem expugnauerit, non adjicitur.

Hætere Cimmerici in Asiâ etiam sub Sadyatte, qui Patri, quum annis 49 regnasset, anno ante Christ. 631 successit; licet ei otii nonnihil esset ad vexandos Milesios. *Herodot. lib. 1, cap. 16, & 17.*

Filius ejus Alyattes, anno ante Chr. 619 Patri Sadyatti ( cui anni imputantur 12 ) succedens, bellum, Milesiis ab ipso illatum, attentius continuavit, nec tamen, ut voluit, perfecit, delusus hostium solertiâ ( qualis fere & Bianti adscripta apud *Dionogenem Laertium c. l.* ) in simulandâ frumenti copiâ, dum quisque in forum confert, quod haberet, itemque rerum fiducia, dum coram Caduceatore commissionibus indulgetur, Thrafbulo Milesiorum Regi consilium illud suggerente Periandro Cypseli Filio. *Herod. lib. 1, cap. 17, 18, seqq.*

Cimmerici interim Asiâ expulsi, & capta Smyrna, *Herod.*

*lib. 1, cap. 16,* conatu contra Clazomenas irrito. *Ibid.*

Bellum cum Cyaxare Medo, ut jam dictum, ad sequens Caput pertinet, suum quidem ævum Alyatte producturo usque ad annum ante Chr. 562, regnavit enim annis 57. *Herod. lib. 1, cap. 25.*

### De Regno Trojano.

**T**rojani Regni autor fuit DARDANUS. Quidam velint regnasse ante eum TEUCRUM, cujus ille & Filiam & Regnum acceperit, *Diod. Sic. l. 4, c. 12.* Antiquiorem Dardanum pronuntiat *Servius ad Æn. 3, v. 107.* De duobus generis autoribus ipsius Virgilio est *Æn. 3, v. 180, Agnovit Prolem ambiguum, geminosque Parentes.*

Filius Dardani ERICHTHONIUS genuit TROEM, Patrem non modo ILI, qui regnavit, Urbemque conditam suo de nomine Ilium dixit, sed & *Assaraci*, unde *Ænea* genus, & *Ganymedis*, quem *Tantalus*, Phrygiâ ideo ejiciendus, rapuit. Ilo natum LAOMEDONTEM, ob perfidiam in Herculem, aut accessu prohibitos Argonautas, expugnatâ Urbe, interfectum, Filius  
exce-

exceptit PRIAMUS, cui ob *He-  
lenam* a *Paride* raptam bellum  
intulit universâ Græcia, cujus  
anno decimo excisâ Urbe victæ  
Gentis reliquiæ longis jaçtatae  
sunt erroribus, donec procul a  
patriâ novas invenirent sedes;  
similem pene fortunam ipsis in  
reditu expertis Victoribus.

Multiplies rerum istarum  
circumstantias, non sine prolixo  
fabularum ambitu, describere  
*Diçlys Cretensis*, *Dares Phrygius*,  
*Apollodorus*, *Diodorus Siculus*, *Hy-  
ginus*, & passim Poetae.

Tempora Regum ex *Autore*  
*Troicorum*, qui cum *Iliade Parvâ*,  
*alisque Carminibus græce editus est*  
a *Michaelæ Neandro*, digesta sunt  
apud *Petavium Rat. P. 2. lib. 2.*  
*cap. 10.* Hunc in modum. Sunt  
anni

Dardani	31.
Erichthonii	75.
Trois	60.
Ili	54.
Laomedontis	36.
Priami	40.
omnes	296.

De termino horum, sive Ur-  
bis excisæ tempore, dicendum in  
proximâ serie Rerum Græca-  
rum.

## De Græcis.

**R**Es Græcorum ut diu fabu-  
losæ fuere, ita & pertenuis.

Quot Populi erant & Oppi-  
da, totidem pene fuisse Reges,  
quum aliunde perspicitur, tum  
ex *Catalogo Homericò. Iliad. ß.*

Inter celebratiores antiquissi-  
mus omnium Argivus PHORO-  
NEUS. *Plin. l. 7. c. 56.* Ille, qui  
homines antea dispersos & va-  
gos in unum cogeret, primus  
erat. *Pausan. Corinth. cap. 15.* De  
illo dixisse *Acusilaum*, fuisse  
ipsum primum hominem, & a  
*Phoronidis Poetâ* appellatum *πυ-  
ρηνος ὀνητῶν ἀνθρώπων*, autor est  
*Clemens Alex. Strom. 1.*

Quæ de Sicyoniorum anti-  
quitate tradita sunt, probabiles  
ob causas possunt negligi. *Mars-  
ham. in Προνάτων. Inachus*, qui  
dictus Phoronei pater, non  
Homo fuit, sed Fluvius. *Pau-  
san. Corinth. cap. 15.* OGYGES  
ille, cujus tempore contigit in  
Atticâ Diluvium (quod vocatur  
Primum, respectu alterius sub  
Deucalione Thessaliæ Rege,  
quum jam Atticæ Rex esset Suc-  
cessor Cecropis Cranaus) ultima  
Phoronei tempora attingit, si-  
quidem testis est *Africanus ap.  
Euseb. Prep. l. 10, c. 10*, collegisse

*Acusilaum* ab Ogyge ad primam Olympiadem annos 1020, ut adeo usque ad Christum sint 1796.

*Eusebii* ex calculo cœpisset Phoroneus regnare anno ante Chr. 1806. Protruditur ejus initium annis 36, adeoque conferitur in annum ante Chr. 1842, autoritate *Marmoris Arundelliani*, cui, ut autographo, quod omnium Chronologorum, qui supersunt, ætatem multum antevertit, merito fides habetur.

Est autem anticipationis istius ratio duplex; prima, quod Danaï adventum, qui Inachidarum Dynastiæ finis, *Eusebius* adscribat anno, qui post initium Regni Attici 82, *Marmor* vero ei, qui 72; altera, quod ipsum istud Regni Attici initium in *Marmore* 26 annis antevertat *Eusebii* calculum, quemadmodum & idem est discrimen in Epochâ Cladis Trojanæ, quo adeo omnia antiquiora totidem annis altius assurgunt.

Scilicet biformis ille **CECROPS**, unde Regum Atticorum continua deducitur successio, cœpisse dicitur in *Marmore* anno ante Diognetum Archontem 1318, id est ante Chr. 1582; siquidem terminum istum ante Diognetum Archontem, quem

omni in computatione vivens tum *Marmoris* Auctor respexit, annis 264 antevertit Christianam Æram, ut demonstratum est a *Seideno* in *Apparatu Chronologico*, quem una ille cum *Notis Historicis*, & *Canone Chronico*, illustrationis causâ, Monumento isti, quum pariter cum aliis *Marmoribus* prope Smyrnam inventis ederetur, adjecit.

Quod traditur, *biformem* dicitur fuisse Cecropem, aliis aliter explicatur. Præferenda causa, quam *Suidas* exhibet, ὅτι τὸ δῶρὸν Ἀργύρου γέμεδον, καὶ ἐκ τῆς Ἑλλάδα ἐλθεῖν, ἢ βασιλεύσει, quod ex *Ægypto oriundus in Græciam venit & regnavit*, quodque adeo participes fuit duplicis Politicæ, & Græcæ & Barbaræ, ut est apud *Diodor. Sic. l. 1, c. 2.*

Venisse Virum ex *Ægypto*, & Saitarum colonos fuisse Athenienses, tam testimoniis quam argumentis potest ostendi, perinde ac, indidem venisse **CADMUM**, Conditorem Thebarum, itidemque Inachidarum apud Argivos, pulso Gelanore, Successorem **DANAUM**: quorum prioris adventum *Marmor* adscribit anno ante Diogn. Arch. 1255, id est ante Chr. 1519, alterius anno ante Diogn. 1247, id



id est ante Chr. 1511. De causâ relictæ Patris sup. p. 28.

Quin & origine Ægyptius ERECHTHEUS, Regum Atheniensium ordine sextus, sub quo instituta apud Eleusinem Mysteria Cereris. *Diod. Sic. l. 1, c. 2.*

Fuit etiam Advena, sed ex Asiâ, PELOPS, qui, victo per fraudem Oenomao, quum Elidis Regno potitus esset, in tantum inclaruit, ut ab ipso nomen *Peloponnesi* sit ortum. *Diod. Sic. l. 4, c. 11.*

Inter Indigenas, quorum fortia celebrata facinora, primus fere habendus Pelopis istius contemporaneus Argivus PERSEUS, cujus initium *Eusebii* calculo adscribitur anno ante Chr. 1313, *Calvis. ad istum annum*, & *Petav. Raz. P. 2, l. 2, c. 8*, Autore *Marmoris* idem haud dubie, si ejus meminisset, pro reliquâ usque ad Trojanum Bellum ratione, anticipaturo.

Præter facinora Persei, Poetarum versibus (*Ovid. Metam. l. 4, & 5.*) decantata, hoc etiam notandum, ipsum esse, qui Regnum transtulit Mycenæ, Mycenæis deinde dicendis Successoribus, ab quibus diversi, qui interim Regnum, sed minus celebratum, habuere Argis, de quibus *Apollodor. Biblioth. l. 2*, &

*Pausan. Corinth. cap. 18.*

Proximus ævo, quod designatum, MINOS, clarissimus Cretentium Rex, *Secundus* vocandus, respectu alterius, qui fuerit ejus Avus, sub quo, secundum *Marmor*, ferrum sit reperitum ab Idæis Dactylis, de quibus *Diodor. Sic. l. 5, c. 15.*

Claritudo Minois non modo ex amplitudine Regni, quod, quum inter omnia Græcorum Regna maximum esset, & centum urbibus habitaretur, longe lateque patens *ἡλιασσοειρησία*, de quâ *Thucyd. lib. 1, p. 4*, adauxit; verum etiam ex latis a se Legibus, quibus Græcorum nullæ vetustiores, quas autem ipse tulit *ἐννέωρ* & *Διὸς μεγάλου βασιλῆς*, per novem annos Jovis magni confabulator, ut scriptum est ab *Homero Odys. τ. v. 178*, accedente multiplicis commemorationis materiâ, respectu eorum, quæ pertinent ad Pasiphaen, Labyrinthum, & Minotaurum, de quibus passim *Poeta* & *Mythologi.*

Jam vero & certatim a multis ea patrata, quæ, quum essent fortasse per se non indecora, Poetarum licentiâ in immensum exaggerata sunt.

Talis Argonautarum, Duce JASONE, Expeditio in Colchidem,

dem, de quâ sunt Poemata *Apollonii Rhodii*, & *Valerii Flacci*.

Talia HERCULIS XII Stipendia, de quibus *Auson. Eidyll. 19*, itidemque Parerga, de quibus *Hygini. fab. 31*.

Talia illa, quæ, quasi Hercules in imitationem, patravit THESEUS, de quibus *Plutarch. in Vit. ejus*.

Tale Bellum Thebanum inter Oedipi Filios, ETHEOCLEM, & POLYNICEM, de quo *Thebais Papinii Stati*.

Tale illud, quod descripsere Poetarum Principes, *Homerus*, & *Virgilius*, Bellum Trojanum. Illud Græciæ totius decrevit ἐμύνηται. Ad illud gerendum totâ ex Gente Flos Virorum se accinxit, Duce AGAMEMNONE, qui post decantatos illos Pelopidas, Atreum & Thyestem, Mycenis regnavit, Filius dubium an Nepos prioris.

Nimiæ licentiæ finis aliquis Belli istius Trojani exitus, ex mente *Eratosthenis* apud *Dionys. Halicarn. Αρχαιολ. l. 1, c. 46*, in annum ante Chr. vel 1183, vel 1184, conferri solitus, auctoritate *Arundelliani Marmoris*, eâ, quâ dictum, anticipatione, conferri debet in annum ante Chr. 1209.

Dubium quum inde evadat, quam in partem intervalli, quod hinc usque ad Olympiadum initium superest, inferendi sint illi anni 25 vel 26, quos *Marmoris* auctoritas Græciæ temporibus restituit, an scilicet in illud spatium, quod antecedit *Reditum Heracidarum*, qui poni solet annis 80 post Trojæ cladem, an vero in illud, quod inde sequitur usque ad insignes illas Græcorum *Migrationses*, quarum præcipua *Ionica* 60 annis serior habetur, an tandem in istud, quod Olympiadum initium proxime antecessit: notabiliter quidem fit manifestum, quam omnino dicendum sit cum *Varrone ap. Censor. de Die Nat. cap. 21*, Mythenici intervalli terminum & Historici initium non esse nisi Olympiadum initium, dum inde demum Græci ἀκλεβοῦν τοῦς χρόνους ἐνέμισαν, accuratam sibi temporum seriem ducendam putarunt. *African. ap. Euseb. Præp. l. 10, c. 10*.

*Reditus Heracidarum*, quos persecutor Hercules Eurystheus Peloponneso eiecerat, cur multum celebretur in Historiâ, ea est causa, quod magnæ inde passim acciderint mutationes.

Ipsæ inde ex parte *Migrationses* illæ,

illæ, Dorica, Æolica, & Jonica, quæ notissima trium Populorum in orâ Asiæ nomina constituerunt; similibus quidem & aliis ita continuandis, ut late admodum sparsum sit Græcorum genus.

Res eorum, qui in Græciâ manserunt, ulterius consideraturis primo jam loco occurrit imperii regii hic illic, injecto libertatis studio, aut abrogatio aut imminutio.

De Argivis scribit *Pausanias*, *Corinth. cap. 19*, quum libertatis & juris æquabilis jam tum ab initio studium fuisset, sub CISO, TEMENI illius, cui ex Heraclidis Regno apud eos cesserat, Filio, ita imminutam potestatem regiam, ut Cisi Liberis ejusque Posteris non nisi nomen regni relinqueretur, mox penitus sub MELTA abrogandum.

De instituto deinde Reip. statu, ut summa potestas esset penes Populum, utque ei subjunctus esset Senatus, una cum Collegio 80 Virorum, qui partem Reip. curarent, simulque *ἡρωίνας*, quos Urbanos Magistratus fuisse, & fortean Judicis etiam præfectos, conjectes, videndus *Ubbo Emmius in Descript. Reip. Argiv. Part. 2, Rerumpubl. Græc.*

Post CODRUM nemo Athenis regnavit, quod memoriæ nominis ejus tributum est, ut ait *Justin. l. 2, c. 7*. Imo veri simile est, peregrinitatem ultimorum Regum infervisse introducendæ libertati, cujus scilicet studium fuerat jam inde a Theseo, qui ita instituerat statum popularem, ut sibi modo nomen Regis, & custodiam Legum, cum imperio militari, & dignitate, retineret. *ex Plutarcho & Pausaniâ Ubbo Emm. in P. 1, Rerumpubl. Græc.*

Qui Regibus succedere, dicti *ἄρχοντες*, cum novo nomine, quod magis secundum libertatem erat, potestate etiam diminutâ, ut esset rationibus reddendis obnoxia. *ex Pausan. idem Ubbo Emm.*

Alibi aliter vocati liberorum Populorum Magistratus. Corinthi *ἡρωίνας*, *Pausan. Corinth. c. 4*. in Cretâ *Κόσμοι*, *Aristor. Polit. l. 2, c. 8*.

Apud Lacedæmonios ut minor jam esset Regum potestas, ipsâ faciebat *δυναξία*, quæ retenta in perpetuum, ita ut introducta fuerat statim sub reditum Heraclidarum, Aristodemi jam mortui Filiis EURYSTHENE & PROCLE simul regnantibus, pari scilicet ætatis auctoritate, dum

G

Mater

Mater nemini fatetur, quem prius edidisset in lucem, ut dicit *Cl. Marmertinus in Panegy. ad Maxim. Hercul. cap. 9.* conferendis, quæ habet *Herodotus l. 6, c. 52.*

Qualiscunque interim fuerit potestas illa, nervos ejus multum incidit LYCURGUS. Breviter de eo *Justinus, l. 3, c. 3, Administrationem Reip. per Ordines divisit; Regibus potestatem Bellorum, Magistratibus Judicia per annuas successiones, Senatui custodiam Legum, Populo sublegendi Senatam, vel creandi quos vellent Magistratus, potestatem permisit.* Plura rei exponendæ hinc inde collecta ab *Ubb. Emm.* itemque *Nicol. Cragio de Republ. Lacedæm. lib. 2.*

Ex iisdem discendum, quomodo magis adhuc coarctatum fuerit jus regium, institutis *Ephoris*, non a Lycurgo, ut voluisse videntur *Herodotus, l. 1, c. 65,* & *Xenophon, de Republ. Lacedæm.* sed a Rege THEOPOMPO annis 130 post Lycurgum, ut dicit *Plutarchus in Lycurg.*

Varii etiam gradus fuere, per quos Athenienses ad plenam venire libertatem. Tribus quidem amplius Seculis Archontes fuere Perpetui. Septem deinde quum singula explevisent de-

cennia, constituti sunt Annui, non jam singuli sed noveni, nominibus distincti diversis, ita ut unus proprie *Archon*, unus *Rex*, unus *Polemarchus*, sex *Thesmothetæ* vocarentur. *sapius est. Ubb. Emm.*

Partâ ad hunc modum passim libertate, cur Lacedæmonii priores pervenerint ad principatum, quem inter Civitates aut una cum illis aut per vices deinde tenuere Athenienses, causâ fuit ab insigni rei bellicæ studio, id quod unice excitavit notabilis severitas disciplinæ per leges a Lycurgo latas sancita, de quâ *Justin. l. 3, c. 3, Xenoph. de Republ. Lacedæm. Plutarch. in Lycurg.*

Prima studii istius & virtutis specimina edita contra *Messénios* ea per certamina, quorum tempora, certâ jam Historiæ fide, ad *Æram Olympiadum* possunt dirigi.

Pertinet *Æræ* istius Caput ad annum ante Chr. 776, P. J. 3938, non quasi tum demum cœperint celebrari Olympici Ludi, aut annotari Victorum nomina, verum quod tum, quum *Æræ* istius usus ad digerenda tempora adhiberi cœpit, ultra CHOROEBUM, reliquis jam Olympionicarum nominibus detritis,

tritis, ascendi non potuerit; id quod minus mirum videbitur, si cogitetur, tertio demum ante Christum Seculo factum esse initium numerandi per Olympiadas, manifeste hoc arguente *Marmore Arundelliano*, ubi nulla Olympiadum mentio.

Contra eos (etiam Homines in Temporum Doctrinâ bene versatos) qui Iphiti ævum & vulgare Olympiadum initium confundunt, ut hoc bene teneatur, plus annis centum ante Choroebi victoriam Ludos Olympicos, qui & olim celebrati fuerant, instauratos fuisse ab Iphito, id omnino necessarium est. Fuisse Iphiti coævum & in instaurandis Olympiis socium Lycurgum, ostenderat *Aristoteles* ex Disco Olympico. Id testatur *Plutarchus in Lycurg.* & profert sententiam *Eratosthenis* & *Apollodori*; qui affirmaverant, non paucis annis eum antecessisse primam Olympiadem, tanquam priori contrariam. Per errorem. Fuit Iphito coævus Lycurgus, & Olympiade primâ vetustior. Hoc evinci potest ex successio-nibus Regum Spartanorum. *vid. Marsham. ad Sec. XV, p. 453.*

Bella Lacedæmoniorum contra Messenios celebrantur tria.

Vehementia fuere duo, quæ hujus ad Capitis tempora pertinent.

Primi belli initium incidit in annum 2 Olymp. 9, id est ante Chr. 743. *Pausan. Messen. cap. 5.*

Causa ejus Lacedæmoniorum cupiditas. Occasio stuprum Lacænis per Sacra illatum, simulque cædes Spartani Regis Telecli, accedentibus mox privatorum injuriis. *Pausan. l. cit. Justin. 3, 4.*

Summa eorum, quæ præcipue notanda, hæc est, Lacedæmonios, captâ *Amphîa*, ita animose certamini instituisse, ut, si ve clade fracti, si ve contra præsumptionem diutius bello retenti, parandæ soboli promiscuos mulierum permiserint concubitus; Messenios sæpius victos, ita ut solâ *Ithome*, quam muniverant, se tuerentur, mox victores sub ARISTODEMO, Filia ex Oraculo mactatore, quem tamen ille se ipsum interfecisset, anno belli 20, primo Olymp. 14, obsessâ jam diu *Ithome* excessisse; dirutâ eadem, quibusdam Rhegium in Italiam commigrantibus, reliquis graves accipientibus leges, unde deinde rebellio. *Justin. l. 3, c. 4. Pausan. Messen. a cap. 5 ad 15.*

Anno post id Bellum tertio;

Olympiadis 14 ultimo, *Eusebius* adscribit Bellum Thyreaticum, id quod contra Argivos susceptum, de Agri Thyreatici possessione, memorabile est in primis ob facinus OTHRYADÆ, qui de 300 Laconibus, quos pugnare placuerat contra totidem Argivos, solus superstes, dum duo de Argivis superstites, Alcino & Chromius, tanquam victores Argos cursu contendebant, spoliatis interim Argivis, arma eorum ad castra suorum detulit, & per tropæi de vulnerum suorum sanguine inscriptionem Patriæ victoriam peperit. *Herodot. l. 1, c. 82. Valer. Maxim. l. 3, c. 2, exempl. inter Extern. 4.*

Anno post *Ithomes* excidium 39, quarto Olympiadis 23, id est ante Chr. 685, defecere Messenii, & bellum instauravere, concitante ARISTOMENE, cujus stupenda & prodigiosa hoc Bello celebratur virtus; sic quoque Lacedæmoniis, licet sub TYRTÆO, quem ex Oraculo petentibus submiserant Athenienses, varias accepissent clades, obsessam annis 11 *Itram* capientibus anno belli 18, ante Chr. 668, & in gravem tum servitutem, qualis & *Helotarum* illa,

omnes redigentibus Messenios; exceptis illis, qui abeuntes ad Rheginos, urbem inde invasere Zanclem, ipsorum de nomine Messianam dicendam. *Justin. l. 3, c. 5. Pausan. Messen. inde a cap. 15.*

Invalescens per hæc Lacedæmonii dum mox Messeniorum in auxiliares arma convertunt; interim gloriæ illis æmuli futuri Athenienses suæ quoque Civitatis statui constituendo incumbunt.

Regio Attica ex instituto Cecropis 12 Oppidis habitata, *Strab. lib. 9*, a Pandione, inter Reges octavo, divisa fuerat in Partes 4, pro numero Filiorum, ita ut acciperet Ægeus τὴν χεῖραν πατρὸς ἄστου, Lycus τὴν ἀσπιδίαν, Pal-las τὴν Παιδείαν, Nisus τὴν Μαγείδαν. *Strab. c. l. & Scholiast. Aristoph. ad ΣΦΗΚ.* Possessionum quidem distinctio non duravit, & ut Lycum expulit Ægeus, *Herod. 1, 173*, ita, non modo Palantidas profligavit, & Megaricum agrum Attico adjunxit Theseus, *Plutarch. in Vir. Thef.* sed & idem, Ἡλίας τῆς Ἀθῶν πόλεως τὰ τε βουλευτήρια καὶ τὰς ἀρχάς, συνώπισε πάντας, *Thucyd. lib. 2, Plutarch. in Thef.* At mansere nomina (Megaride quidem potitis Doriensibus, *Strab. l. 9, &*

& *Pausan.* l. 1) tria ista, Πεδείων, Παρθελίων, Δακρυίων, ita scilicet, ut jam illis factiones notarentur, ὅσους ἢ χωρῆς διαφορῆς εἶχε, totidem in partes distractâ Civitate, *Plutarch. in Solon.* ubi & studiorum diversitas explicatur.

Quum & ingentes turbas dedisset, sub Olympiadem, ut videtur, 36, *Cylonium*, quod dicitur, *Piaculum*, de quo *Thucyd. lib. 1, p. 82*; inprimis opus erat Legibus.

Scriptæ hæ a DRACONE sub Olymp. 39, sed rigore nimio, & qui mox temperandus fuit a SOLONE, cujus ætas jam incidit in Seculum ante Chr. VI, siquidem Magistratum gessit anno 3 Olymp. 46, ante Chr. 594. *Plutarch. in Solon.*

## De Romanis.

**I**N Italiam varii aliunde venire Populi, de quibus *Dionys. Halicarn. ἀρχαιολ. l. 1, sect. 8, 9, seqq.*

Nihil clarius Trojanis, qui ÆNEA Duce, post cladem Ilii, & annorum aliquot errorem, memorabili illâ *Virgilio Æneide* descriptum, confedere in Latio, originem daturi urbi Romanæ; id quod verum esse, magno Scri-

ptorum consensu utique defenditur, contra argumenta *Samuelis Bocharti in Epist. ad D. de Se-grais, de Æn. advent. in Ital.*

Sunt argumenta ista; primo, esse apud *Homerum Iliad. v, v. 307*, itemque in *Hymn. in Vener. v. 197*, regnaturum Æneam Trojanis, vel in Trojanis, cum omni Posteritate; deinde, Romam veterem ignorasse Veneris aliorumque Numinum Trojanorum cultum, quem commendaturus fuerit Æneas, si in Italiam venisset; tandem, Sermonis Phrygii nulla apud Latinos superesse vestigia.

Argumenta ista non contemnenda appellat *Cellarius Hist. Antiq. lib. 4, sub init.* frivola & tanto Viro indigna *Perizonius Diss. Sec. de Republ. Rom.* & pridem ea confutavit *Theod. Ryckius Diss. de Prim. Ital. Incol.* refellens simul *Phil. Cluverium* qui in suâ *Ital. Antiq.* totam Veteris Romæ Historiam elevaverat, abusus iis, quæ scribit *T. Livius in princ. lib. 6.*

Struxerat Æneas urbem Lavinium, idque ei nomen indiderat a Lavinia Latini Filiâ, ob quam certatum cum Turno. Filius ASCANIUS Albam condidit, ubi Seculis regnatum amplius qua-

quatuor, donec conderetur Roma. *T. Liv. l. 1, c. 1, 2, 3. Dionys. Halic. l. 1, Sect. 37, 38. seqq.*

Conditores Romæ, ROMULUM & REMUM, ediderat Rhea Sylvia, pulsi ab Amulio Numitoris Filia, non servatâ, ut ille voluerat, virginitate; &, amne quum fuissent mergendi, miraculo servatos, traditum. *Flor. l. 1, c. 1. T. Liv. l. 1, c. 4. Dionys. Halic. l. 1, Sect. 47, 48. seqq.*

Pastores, inter quos creverant, focii fuere operis, *Palilibus* ideo inchoandi. *Ovid. Fast. l. 4, v. 806.*

De anno dissensus est, unde & variat sequentis temporis ordinatio, sed præferendus calculus, qui exurgit ab anno ultimo Olymp. 6, P. J. 3962, ante Chr. 752. Nititur hic fide Monumenti Publici, *Fastorum Capitolinorum*. Alter incipit ab anno præcedente, autore *Parrone*, ex sententiâ *Tarutii*, qui artis mathematicæ fiduciâ Romuli etiam conceptum & ortum suis non modo diebus sed & horis assignaverat, ut pluribus referunt *Cicero de Divin. l. 2, & Plutarchus in Rom.* At fidem ille non fecit designationis suæ, memorans scilicet Eclipses, quæ hætenus ex Tabulis Astronomicis

deprehendi non potuerunt.

Alterum de conditoribus Urbis, Remum, statim periisse constanter traditur. Illud dubium, an in altercatione, quæ de auspicio regnum daturum mota, an vero quum ludibrio Fratris novos muros transfiliisset; etiam hoc, an occisus sit Fratris jussum. *Flor. l. 1, c. 1, Liv. l. 1, c. 7. Dion. Halic. l. 1, Sect. 56.*

Eorum, quæ Romuli de regno notanda, hæc summa: Apylo fuisse collectos, qui novam Urbem frequentius habitarent; Matrimonia, quum negarentur, vi fuisse rapta; ortis inde statim Bellis, alios fuisse victos, ita ut de Cæninensium Rege Acrone etiam referrentur *Spolia Opima*; cum Sabinis autem intra mœnia variâ pugnatum esse fortunâ, donec intercursum Mulierum pax sequeretur, eâ lege, ut Regni Romulo consors esset *Tatius*; auctam ita receptâ multitudine Civitatem, post Tatii mortem solum iterum rexisset Romulum: Statum Reipublicæ ita fuisse ordinatum, ut Legibus, quæ novo præscribi Populo potuere, adjiceretur divisio ejus in Tribus & Curias; lectos autem in consilium Patres ipsum anno regni 37, quum concionem



cionem haberet ad Capreæ paludem, discerpisse videri, dum Plebi quidem, desiderium ejus non laturæ, fictâ apotheosi illud debatur. *Plutarch. in Romul. Flor. l. 1, c. 1. Liv. l. 1, c. 8, 9, seqq. Dion. Halic. l. 2, sect. 1, 2, seqq.*

Post anni integri interregnum, anno U. C. 39, ante Chr. 714, Curibus, ob morum famam, accitusest NUMA POMPILIUS, qui, injecto Deorum metu feroces animos mitigandos ratus, varia instituit Sacra, omni tempore regni, annis 43 durantis, clauso Jano, id quod pacis argumentum esse placuit. *Plutarch. in Num. Flor. l. 1, c. 2, Liv. l. 1, c. 17, 18, seqq. Dion. Halic. l. 2, Sect. 89, 90, seqq.*

Anno U. C. 82, ante Chr. 670, successit TULLUS HOSTILIUS, quo desuetos Cives ad bella revocante, certatum diu cum Albanis, donec, acceptis redditisque cladibus, fata Populorum committerentur Horatiis Curiatisque Fratribus, quorum posterioribus victis, quum fidem non servarent Albani, Duce Metio quadrigis distracto, Urbe autem excisa, ipsi Romam traducti. *Flor. l. 1, c. 3, Liv. l. 1, c. 22, 23, seqq. Dion. Halic. l. 3, sect. 1, 2, seqq.*

Numero Civium satis aucto, ANCUS MARTIUS, qui regnare cœpit anno U. C. 114, ante Chr. 639 (regnaverat Tullus annis 32) coloniam duxit Ostiam, munitæ autem Urbi, ponte facto, Janiculum conjunxit. *Flor. l. 1, c. 4, Liv. l. 1, c. 32, 33, 34, Dion. Halic. l. 3, sect. 132, seqq.*

Post mortem Ancii, qui regnaverat annis 24, ablegatis Filiis ejus, anno U. C. 138, ante Chr. 615, Regnum sibi petivit & obtinuit TARQUINIUS, licet peregrinæ esset originis, patre natus Demarato, qui Cypselum (oppressis Bacchiadis Corinthi dominantem) fugiens, in Etruriam se contulerat; isque, firmandæ potentia, quam arte quæsiverat, novos in Curiam induxit Patres, mox quidem etiam efficiens, ut industriæ non pœniteret, quum prospere adversus Etruscos bella gererentur. *Flor. l. 1, c. 5, Liv. l. 1, c. 35, 36, seqq. Dion. Halic. l. 3, sect. 137, seqq.*

#### De Carthaginensibus.

ÆMULAM aliquando Romanæ Urbi futuram Carthaginem DIDO, quæ & ELISSA, condidit, virilis animi Mulier, quæ cum Tyriis aliquot Fratrem

Fratrem Pygmalionem, Mariti sui Sichæi live Acerbæ interfectorem, fugerat. *Justin. l. 18, c. 4.*

Vana illa *Philisti ap. Euseb. & Appiani in Libyc.* de Conditoribus *Zoro & Carchedone.* Urbium ista, Tyri & Carthaginis, non Conditorum, nomina. *Salmas. in Solin. cap. 27, Bochart. Can. l. 1, c. 24.*

Frustra etiam ambigitur de tempore. Potuere quidem, ut velit *Bochartus c. l.* habitare in Africâ Phœnices, quos adeo adierit, non deduxerit Dido. De ætate ipsius Didonis certa fides ex *Menandro & Tyrionum Annalibus apud Josephum. vid. sup. p. 32.*

Est annus Pygmalionis 7, quo Dido fugit, ab Hiromi 12, quo conditum Templum Salomonis, 125, adeoque annus sequens, Carthaginis primus, est Templi 126, ante Chr. 882, ante initium Romæ 130. Hoc quoque dicit *Solinus c. 30*, dum docet Urbem everfam, quum stetit annis 737. Facta everfio anno Urbis Romæ 607. *Calvis. ad hunc ann.*

Inde ut redarguendum, quod scribat *Justinus l. 18, c. 6*, conditam esse Carthaginem annis 72 ante Romam, *Vellejus l. 1, c. 6*, id factum annis 65 ante Romæ initium, quodque *Timæus Sici-*

*lus*, ut testatur *Dionysius Halic. l. 1, Sect. 46*, ortum ejus assignaverit anno 38 ante primam Olymp. id est 62 ante Romam; ita inprimis taxanda licentia *Virgili*, quod posuerit Didonem in temporibus *Æneæ*, notante jam id *Servio ad Æneid. l. 1, & 4.*

Fabellam de secto corio, unde sit nomen *Byrsa*, non modo *Virgilius* tangit *Æneid. l. 1, v. 371*, & *Silius Ital. l. 1, v. 25*, sed & *Justinus l. 18, c. 5*, & *Appianus in Libyc. c. 1.* ignoratâ notione vocis Hebraicæ פֶּרֶץ pro arce munitâ, *Bochart. Can. l. 1, c. 24, & l. 2, c. 10.*

De formâ πολιτείας illud constat, regio imperio, quod primum fuit, repudiato, binos creatos esse *Suffetes*, qui quotannis domi rempublicam curarent, diversis ab eorum munere imperiis militaribus. *vid. sup. p. 11. conf. Ubb. Emm. de Republ. Carthag.*

Ut gestis fortiter bellis fines in Continente prolatos esse, ita effecisse situm Urbis, simulque Gentis ingenium, ut augendis opibus maritimis magno studio incumberetur, ex iis intelligitur, quæ deinde dicentur. Quæ primis temporibus patrata, parum sunt nota. Pauca habet *Justinus l. 18, & 19.*

COROLLARIA RESPONDENTIS.

I.

- N**ecessitatem invocandi Nominis Divini in Instrumentis inde inferre, quod Justinianus usus sit istâ præfatione I. N. D. N. J. C. ineptum est.
- II. *Eam inferre ex illo*, Nov. 47. Autore Deo, multo adhuc ineptius.
- III. *Hodierna formula*, Nos Dei Gratiâ, non debet similis dici veteri isti, I. N. D. N. J. C.
- IV. *Legem Regiam sub Augusto latam fuisse*, satis evinci potest.
- V. *Princeps Legibus non est solutus*.
- VI. *Servitus non est contraria Juri Naturali*.
- VII. *Adscriptitii pro Servis habendi*.
- VIII. *In iis, que scribuntur in l. 14. ff. de Quæst. & l. 9. §. 16. ff. de Poen. nemque pr. l. 29. ff. de Statu lib. manifesta satis est antinomia.*
- IX. *An Minor possit esse Procurator, hodie fere inutiliter queritur. Si de eo queritur, quod olim obtinuit, affirmativa tenenda.*
- X. *Nuptiæ sine consensu Parentum contractæ non sunt irritæ, nisi peculiariter ita sit cautum.*
- XI. *Computatio Graduum, quâ utitur Jus Canonicum, omnino ineptiæ arguenda.*
- XII. *Gradus expressi Levit. XVIII non debent per analogiam extendi.*
- XIII. *Et non prohibentur illic Nuptiæ Comprivignorum.*
- XIV. *Licet ducere Fratris Sponsam, & nubere Sororis Sponso.*
- XV. *Etiã verius videtur, posse duci Uxoris Sororis Filiam.*
- XVI. *Nec hoc admittendum, prohibitiones in affinitate tantundem patere, ac in sanguine.*
- XVII. *Pœna adulterii ex Lege Juliâ non videtur capitalis fuisse.*
- XVIII. *Quod hoc dicitur §. 4. I. de Publ. Jud. perinde accipiendum ac illud, quod dicitur §. 6. de Lege Pompejâ, quod scilicet neque ipsum verum existimandum.*
- XIX. *Ad legitimatorem per subsequens matrimonium non sunt necessaria Instrumenta Dotalia.*
- XX. *Etiã ex adulterio & incestu nati possunt legitimari.*


H

ILLU.

ILLUSTRI AC GENEROSISSIMO  
**D<sup>o</sup> DIEDERICO**  
**BARONI DE WYLICH**  
 a **DIERSFORD,**  
 Ob publice editum laudabile insi-  
 gnium profectum Specimen,  
 gratulatur

**CHRISTOPHORUS RAAB**  
 SS. Theol Doct. & Prof. Ord.

**E**Uge Decus Juvenum, dignissime laudis avitæ  
 Hæres, Magnorum digna Propago Virum.  
 Non Tibi, præclaris, satis, esse Parentibus ortum,  
 Contemnis, solum quod Tibi Stemma dedit.  
 Acceptas augere tuo conamine laudes  
 Est amor, & proprio quærere Marte decus.  
 Non quod inhumani placeat vecordia Martis,  
 Aut Hominum fuso sanguine partus honor.  
 Est melior, Pectus caluit quo Nobile, flamma.  
 Artibus a Doctis nomen habere juvat.  
 Macte isthac virtute tuâ? Natalibus inde,  
 Et Generis forti gloria major erit.  
 Inde erit, ut faveat Rex Magnus, amantior isto  
 Qui sit virtutis, secula nulla ferent.  
 Inde alios laudis parilis stimulaverit ardor:  
 Sitque pudor, talem non voluisse sequi.  
 Sic poterit nostrum plures sperare Lycæum,  
 Qui bene mox Patriæ consuluisse queant.





Na 118.  
8

ULB Halle


3

005 425 387




mc









42

HENRICI MASCAMPPI  
PROFESS. DUISBURG.  
INSTITUTIONUM  
HISTORICARUM

SPECIMEN PRIMUM,  
SI DEUS ANNUERIT,

Publicæ disquisitioni  
submittendum,

die Februarii,

H. L. Q. S.

RESPONDENTE  
DIEDERICO BARONE DE WYLICH  
a DIERSFORD.



DUISBURGI ad RHENUM,  
Typis JOHANNIS SAS, Academiae Regiae Typographi,  
Anno M DCC X.